contra Deum Auctorem naturæ in eo ſtatu contingere poſſent.

XXXIV. Opponunt quinto. Si in ſtatu puræ naturæ fuiſſet rebellio membrorum, & turpitudo libidinis, recta ratio diſſuaſiſſet Matrimonium in eo ſtatu, & perpetuam continentiam ſuaſiſſet: ſed hoc videtur abſurdum; ergo &c. Major prob. Nam recta ratio ſuadet, ut mens rationalis nullo pacto ſub libidine deprimatur. Min. etiam prob. Nam ſi in eo ſtatu recta ratio diſſuaſiſſet Matrimonium, diſſuaſiſſet opus maxime naturale, & incitaſſet ad illud, quod eſt humanæ propagationi contrarium: & ſic recta ratio cum naturæ conſervatione pugnaſſet.

XXXV. Reſpondeo, nego maj. ſicut enim in ſtatu naturæ lapſæ, in quo magis fervet libido, recta ratio ſuadet Matrimonium tamquam licitum: ita & in ſtatu naturæ puræ. Quare ſicut recta ratio non contrariatur uſui ciborum, quia neceſſaria ad conſervationem individui, ſed ſolum ei præſcribit modum, ut ſcilicet modo debito moderate fiat: ita nec contrariatur uſui Matrimonii neceſſario ad conſervationem ſpeciei, ſed ſolum imponit modum, ut ſcilicet fiat debito modo; & ordine ad finem generationis humanæ. Vide S. Thomam 2. 2. q. 153. *art.* 2. Nec refert, quod in actu conjugali ratio deprimatur, & abſorbeatur. Nam ut docet D. Thom. ibi ad 2. *Non eſt virtuti contrarium, ſi rationis actus aliquando intermittatur aliquo modo, quod ſecundum rationem fit: alioquin quod aliquis ſe ſomno tradit, eſſet contra virtutem.*

§. III.

Fundamenta contra ignorantiam, & Mortem in ſtatu Naturæ puræ.

XXXVI. OPponunt primo, in ſtatu naturæ puræ non fore ignorantiam, ſic. Non videtur divinæ æquitati, & juſtitiæ congruum, quod creatura innocens habeat id, quod ſolum pœna peccati eſt: ſed habere rationem ita ligatam, & in tam profunda merſam ignorantia, qualis eſt in parvulis, pœna peccati eſt; ergo naturæ puræ omnis peccati experti æquum non eſſet, ignorantia laborare. Min. prob. ex S. Auguſt. *lib.* 5. *contra Julianum c.* 4. ubi ex parvulorum inſipientia probans peccatum originale: *Quis* (inquit) *non quotidie probet, teſtibus rebus humanis, parvulum prius nihil ſapere, deinde creſcendo vana ſapere?* &c. Deinde ad Pelagianos converſus ſubdit: *Quemadmodum prius proferat inſipientia, quam ſapientia fructum videtis, & radicis ejus vitium videre non vultis; aut videtis, quod pejus eſt, & negatis.*

XXXVII. Reſpondeo, minorem eſſe veram de ignorantia, quæ de facto eſt, & ſuppoſito lapſu hominis ab innocentiæ ſtatu; in quo etiam a pueris exulaſſet ignorantia ſaltem eorum, quæ ipſorum ſtatui convenientia fuiſſent, ut ſuperius dictum eſt: & de hac ignorantia, quam modo pueri experiuntur, loquitur Auguſtinus. Non autem eſſe veram de ignorantia, quæ fuiſſet in ſtatu puræ naturæ; hæc enim eſſet defectus ex principiis naturæ conſequens: cum enim illi non ſint ab initio connaturales rerum ſpecies, ſicut Angeli, ſed debeat illas acquirere paulatim beneficio ſenſuum, quorum organa in parva ætate non ſunt diſpoſita, oportet, quod prius ignorantia laboraret natura, quam perveniret ad ſcientiam: quod in adultis quoque contingere poſſet. Neque diſconveniens eſſet, quod ratio, maxime in pueris, aliquo tempore ligata maneret. Nam ſicut modo in hominibus etiam juſtis tertia, vel quarta vitæ parte ligatur, ſepultaque manet ratio, & omnis ſcientiæ uſus tempore obdormitionis; nec etiam repugnaret, quod Deus infantium animas in ſtatu naturæ puræ aliquandiu ſomno veluti torpeſcere pateretur; unde paulatim evigilantes in lucem intelligentiæ prodirent. Diſerte hoc oſtendit S. Auguſt. *lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 22. ubi concludit: *Si enim arboris novellum, & rude virgultum nullo modo recte ſterile dicimus, quamvis aliquot æſtates ſine fructibus trajiciat; donec opportuno tempore expromat feracitatem ſuam: cur non auctor animæ debita pietate laudetur, ſi ei tale tribuit exordium, ut ſtudendo, ac proficiendo ad frugem ſapientiæ, juſtitiæque perveniat?*

XXXVIII. Opponit ſecundo Janſenius, hominem in puris naturalibus conditum non fore obnoxium morti, aliiſque corporis miſeriis. Primo. Nam S. Auguſtinus in libris contra Pelagianos probat peccatum originale ex eo, quod pueri peccati actualis expertes ſubjiciantur morti, morbis, doloribus, aliiſque miſeriis corporis; qui diſcurſus nihil valeret, ſi homo in ſtatu puræ naturæ, in quo non eſſet originale peccatum, eiſdem miſeriis foret obnoxius.

Secundo. Juſtum non eſt, hominem talibus malis affligi, niſi ea peccando promeruerit: ſed homo in pura natura careret peccato originis; ergo &c. Majorem probare conatur variis S. Auguſtini textibus, & maxime *lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 9. dicentis: *Si enim peccatis earum detractis miſeria perſeverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo, atque adminiſtratio univerſitatis.*

Tertio. Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit.* Et v. 16. *Impii autem manibus, & verbis accerſerunt illam.* Et ad Rom. 5. v. 12. *Per peccatum mors.* At ſi mors eſſet homini naturalis, eique in ſtatu puræ naturæ conveniens, jam Deus feciſſet mortem, non eam homo accerſiviſſet peccando, neque per peccatum introiſſet in Mundum, ergo &c.

XXXIX. Reſpondetur, neg. aſſumptum. Ad primam prob. dico, S. Auguſtinum, cæteroſque Patres, qui contra Pelagianos dimicarunt, optime concludere peccatum originale ex illis miſeriis, quibus infantes ab ipſo ſuæ conceptionis exordio obnoxii ſunt. Loquuntur enim de facto, & juxta traditionem fidei, & Sacræ Scripturæ, quibus conſtat, primum hominem integritatis, immortalitatis, ac exemptionis a doloribus beneficio fuiſſe a Deo donatum, promiſſione facta transferendi in ejus Poſteros hæc dona, ſi ipſe non peccaret. Quare cum Deus infidelis non ſit, nec injuſtus, recte ex illis miſeriis, quibus totum genus humanum affligitur, colligunt, Adam peccaſſe, ejuſque peccatum occaſionem Deo fuiſſe, hominem illis privilegiis ſpoliandi. Ideoque pœnæ factæ fuerunt homini corporis afflictiones, quæ in ſtatu puræ naturæ defectus naturales fuiſſent.

XL. Ad ſecundum dico, juſtum quidem non eſſe hominem talibus malis affligi, niſi ea peccando promeruit, ſi pure pœnalia ſint; non vero ſi etiam ſint defectus conſequentes naturam. Duplicis enim generis ſunt mala, quibus corpus affligi poteſt. Alia præternaturalia, ut pœna damnationis, & combuſtionis æternæ: alia, quæ ſunt defectus conditionem naturæ ſequentes, ut morbi, dolores, mors &c. Priora quidem a Deo peccatorum vindice infliguntur: poſteriora vero quamvis de facto etiam pœnalia ſint, in quo ſenſu loquitur Auguſtinus, abſolute tamen ſunt defectus, qui ſpectata naturæ conditione contingerent. Cumque Deus ex ordinata ſua providentia non teneatur actionem cauſarum naturalium impedire, ut corporeæ naturæ ex ſua conditione defectibiles non deficiant; ideo ſi hominem condidiſſet, eum in ſuis naturalibus relinquendo, morti, aliiſque miſeriis ſubditum reliquiſſet.

XLI. Ad tertium dico, Sacram Scripturam loqui de facto, & de morte, cui modo ſubjicimur. Deus enim hominem mortalem non fecit: unde Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, ideſt immortalem: homo autem peccando, mortem, a qua Deus illum liberaverat ſuæ gratiæ dono, ſibi accerſivit. Unde dicto *c.* 2. *v.* 24. additur: *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem*, & Paulus ait: *Per peccatum mors.* Ideoque in præſenti ſtatu mors occidit præter intentionem Dei. Non autem Scriptura loquitur de homine, nec de morte in ſtatu puræ naturæ. Videatur D. Thom. 1. 2. q. 85. *art.* 6. ubi oſtendit, quomodo mors ſit homini naturalis ex parte materiæ, & quomodo facta ſit Pœnalis. Quod etiam demonſtrat ad Rom. *c.* 5. *lect.* 3. ubi: *Dicendum eſt autem* (inquit) *quod natura humana dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundum principia intrinſeca, & ſic mors eſt ei naturalis. Unde Seneca dicit in Libro de Remediis fortuitorum, quod mors natura eſt hominis, non pœna. Alio modo poteſt conſiderari natura hominis ſecundum quod per divinam Providentiam fuit ei per juſtitiam originalem proviſum. Quæ quidem juſtitia erat quædam rectitudo, ut mens hominis eſſet ſub Deo, & inferiores vires eſſent ſub mente, & corpus ſub anima, & omnia exteriora ſub homine: ita ſcilicet, quod quamdiu mens hominis Deo ſubderetur, vires inferiores ſubderentur rationi, & corpus animæ indeficienter ab ea vitam recipiens, & exteriora hominis, ut ſcilicet omnia ſervirent, & nullum ex eis nocumentum ſentiret. Hoc autem Providentia divina diſpoſuit propter divinitatem animæ rationalis, quæ cum naturaliter ſit incorruptibilis, debebatur ſibi incorruptibile corpus. Sed quia corpus, quod eſt ex contrariis compoſitum, oportebat eſſe organum ſenſus, & tale corpus ſecundum naturam ſuam incorruptibile eſſe non poteſt, ſupplevit potentia divina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter: ſicut faber, ſi poſſet, daret ferro, ex quo cultellum fabricat, virtutem, ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo poſtquam mens hominis per peccatum a Deo eſt averſa, amiſit virtutem continendi inferiores vires, & etiam corpus, & exteriora: & ſic incurrit mortem naturalem a cauſis intrinſecis, & violentam ab exterioribus nocumentis.* Hæc D. Thomas bene notanda, & quæ claudunt totam hanc Quæſtionem de ſtatu naturæ puræ.

QUÆSTIO XII.

De Angelis comparate ad Homines.

AD integram hominis notitiam pertinet ipſum quoque conſiderare relate ad Angelos, quorum miniſterio, & cuſtodia, ut videbimus, gubernatur. Quare a Prima Secundæ D. Thomæ, ad quam, ut ageremus de peccato Originali, divertimus, ad Primam Partem ejuſdem regredimur. In ea enim *quæſt.* 108. Angelorum Hierarchias enumerat, a quæſt. autem 111. uſque ad 114. de Angelis comparate ad homines ſermonem facit. Sequentes ergo S. Præceptorem ea, quæ ad Tyronum notitiam neceſſaria judicabimus, brevi calamo percurremus.

DUBIUM I.

Quot ſint Hierarchiæ, & Ordines Angelorum?

§. I.

Prioris partis Reſolutio.

I. HIerarchia eſt Græcum nomen compoſitum ex *hieros*, ideſt *ſacer*, & *arche*, ideſt *principatus*; unde idem eſt ac ſacer Principatus. Quare Dionyſius Areopagita de Eccleſiæ Militantis Principatu loquens, Epiſcopum vocat *Hierarcham*, ideſt ſacrum Principem.

II. Porro *in nomine Principatus* (inquit Div. Thom. 1. par. qu. 108. art. 1.) *duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe. Quia igitur unus eſt Deus Princeps non ſolum omnium Angelorum, ſed etiam hominum, & totius creaturæ, ideo non ſolum omnium Angelorum, ſed etiam totius rationalis creaturæ, quæ ſacrorum particeps eſſe poteſt, una eſt Hierarchia. Secundum quod Auguſtinus dicit in* 12. *de Civit. Dei* (cap. 1. *duas eſſe Civitates, una in Angelis bonis, & hominibus; alteram in malis. Sed ſi conſideretur Principatus ex parte multitudinis ordinatæ ſub Principe, ſic unus Principatus dicitur, ſecundum quod multitudo uno & eodem modo poteſt gubernationem Principis recipere. Quæ vero non poſſunt ſecundum eumdem modum gubernari a Principe, ad diverſos Principatus pertinent: ſicut ſub uno Rege ſunt diverſæ Civitates, quæ diverſis reguntur legibus, ac miniſtris.* Ita Div. Thom. Ex quibus concludit, quod cum homines alio modo percipiant divinas illuminationes, quam Angeli; nam Angeli percipiunt illas in intelligibili puritate, homines vero eas percipiunt ſub ſenſibilium ſimilitudinibus: ideo oportet diſtingui humanam Hierarchiam ab angelica. Quod in dubium venit, eſt, an quoque in Angelis diverſæ Hierarchiæ ſint diſtinguendæ.

III. Dico. In Angelis tres Hierarchiæ diſtinguuntur. Ita S. Thomas loco laudato. Et probat. Tot in Angelis ſunt Hierarchiæ, quot modis Angeli Dei ſummi Principis regimen per illuminationem recipiunt in ordine ad rationes rerum cognoſcendas: ſed hoc tribus modis contingit; ergo &c. Min. probatur. Angeli cognoſcere poſſunt rationes rerum, vel ut procedunt a primo principio univerſali, quod eſt Deus: & iſte modus conſtituit primam, & ſupremam Hiererchiam Angelorum, quæ rationes rerum, ut immediate a Deo ſunt, contemplatur, & quaſi in veſtibulis Dei collocatur, ut dicit Dionyſius *cap.* 7. *Cæleſtis Hierarch.* Vel rationes rerum cognoſcunt, ut dependent ab univerſalibus cauſis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur; & iſte modus conſtituit ſecundam Hierarchiam. Vel rationes rerum cognoſcunt, ut procedunt a propriis cauſis, & ut ſingulis rebus applicantur; & hic modus conſtituit infimam, & tertiam Hierarchiam; ergo tribus modis diſtinguuntur Hierarchiæ ex parte multitudinis ſubjectæ.

IV. Addit tamen S. Doct. errare eos, qui ponunt in divinis Perſonis Hierarchiam, quam vocant ſupercæleſtem. In divinis enim Perſonis eſt quidem ordo naturæ, ſed non Hierarchiæ, quæ dicit multitudinem ordinatam ſub uno Principe. Tum quia ordo Hierarchiæ dicit alios purgari, illuminari, perfici; alios autem purgare, illuminare, perficere. Quod abſit, ut in divinis Perſonis ponamus.

V. Ratio D. Thomæ præfata explicatur ab Innocentio V. in 2. *diſt.* 9. *qu. unica art.* 3. Sicut poteſt quis mentem ſapiens Regis in regimine videre tripliciter; vel inſpiciendo voluntatem, quæ movet omnia; vel inſpiciendo leges generales, & conſuetudines totius Regni; vel denique inſpiciendo leges ſpeciales, & conſuetudines ſpecialium locorum, quibus regit ſpecialia loca: Ita Angelus tripliciter recipit illuminationes de effectibus Dei. Primo intuendo illos in ipſa cauſa univerſaliſſima, ſcilicet in voluntate divina: ſecundo in cauſis ſecundis univerſalibus: tertio in cauſis ſpecialibus. Primum pertinet ad primam Hierarchiam, ſecundum ad ſecundam, tertium ad tertiam. Nam qui de prima ſunt, ſolum circa Deum occupantur, propterea Aſſiſtentes dicti. Qui vero de media, operantur circa regimen generale. Qui autem de tertia, operantur circa regimen ſpeciale aliquarum partium, vel perſonarum Univerſi; ſicut in Regno temporali, Quidam occupantur circa officium perſonæ Regis, quidam circa regimen generale Regni, quidam circa regimen ſpecialium locorum.

VI. Adverto cum D. Toma citato *ad* 2. me hic non loqui de cognitione beatifica Angelorum, ſed de cognitione & illuminatione, quam habent extra Verbum. Nam *quantum ad cognitionem ipſius Dei, quem omnes uno modo, ſcilicet per eſſentiam, vident, non diſtinguuntur in Angelis Hierarchiæ, ſed quantum ad rationes rerum creatarum.* In hominibus autem non diſtinguuntur Hierarchiæ; quia, ut ait ibidem ad 3. *Omnes homines ſunt unius ſpeciei, & unus modus intelligendi eſt eis connaturalis: non ſic autem in Angelis.*

§. II.

Reſolutio ſecundæ partis.

VII. STatuto numero Hierarchiarum in Angelis, ſupereſt numerum etiam Ordinum aſſignare. In hoc autem differunt Hierarchia, & Ordo, quod Hierarchia in Angelis dicit gradum, unde Hierachia non multiplicatur, niſi multiplicentur gradus. Ordo autem dicit ordinationem plurium ſub eddem gradu.

VIII. Quare ſuppono primo cum Divo Thoma citato *art.* 2. in una Hierarchia plures eſſe Ordines Angelorum. Cum enim una Hierarchia ſit unus Principatus, ideſt una multitudo ordinata uno modo ſub Principis gubernatione; non eſſet multitudo ordinata, ſed confuſa, ſi in multitudine diverſi Ordines non eſſent. Hæc autem diverſitas Ordinum ſecundum diverſa officia, & ritus conſideratur. Sicut enim in una Civitate ſunt diverſi Ordines ſecundum diverſos actus: nam alius eſt Ordo judicantium, alius pugnantium, alius laborantium in agris, & ſic de aliis: qui tamen Ordines in una Civitate quamvis diverſi ſint, omnes ad tres poſſunt reduci; quælibet enim multitudo perfecta habet principium, medium, & finem. Unde & in Civitatibus triplex hic Ordo invenitur. Quidam enim ſunt ſupremi, ut Optimates; quidam ſunt infimi, ut vilis populus; quidam ſunt medii, ut populus honorabilis. Sic igitur in qualibet Angelica Hierarchia Ordines diſtinguuntur ſecundum diverſos actus, & officia; & hi ad tres reducuntur, ſcilicet ad ſummum, medium, & infimum. Ita iiſdem fere verbis Angelicus Præceptor.

IX. Suppono ſecundo cum eodem ibi *art.* 3. in uno Ordine eſſe plures Angelos. Sicut enim in una Civitate plures ſunt in ordine Optimatum, plures in ordine Civium, plures etiam in ordine plebejorum: ita etiam in Ordine Angelorum. Quia vero ſolum imperfecte Angelos cognoſcimus, nec eorum actus, & officia diſtincte ſcrutari poſſumus; ſolum nobis licet dicere, in quolibet Ordine plures eſſe Angelos, diverſos actus, & officia intra illum Ordinem habentes multo magis, quam quælibet ſtella, etſi nos lateat. Nunc ad reſolutionem.

X. Dico. Novem ſunt Angelorum Ordines, ſeu Chori. Ita S. Doct. *art.* 5. Hi autem ſunt: *Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, Angeli.* Horum tres primi componunt primam Hierarchiam; tres ſecundi mediam; tres poſtremi ultimam. Ex Scriptura probat D. Thomas art. citato *in Argum. ſed contra* ſic: *Sed contra eſt auctoritas Scripturæ, quæ ſic eos nominat. Nomen enim Seraphim ponitur Iſaiæ* 6. *Nomen Cherubim Ezechiel.* 1. *Nomen Thronorum Coloſſ.* 1. *Dominationes autem, & Virtutes, & Poteſtates, & Principatus Epheſ.* 1. *Nomen autem Archangeli ponitur in Canonica Judæ. Nomen autem Angelorum in pluribus Scripturæ locis.* Hoc idem docent SS. Patres, inter quos fuſe Gregorius *Homil.* 34. *in Evangel.* exponens cujuslibet Ordinis proprietates, ut infra, Damaſcenus *lib.* 2. *de Fide de cap.* 3. & alii.

XI. Prima ergo Hierarchia, quæ ſemper Deo aſſiſtit, in tres Ordines diſtinguitur juxta triplicem ordinem, quo Deum reſpiciunt, nempe in Seraphim, Cherubim, & Thronos. Primi, quia Deo intimius conjunguntur per ardentiſſimum amorem, Seraphim dicuntur a verbo hebraico *Seraph*, quod latine accendere dicitur. Unde Divus Gregorius laudato loco: *Illi* (inquit) *quia ita Deo conjuncti ſunt, ut inter illos, & Deum nulli alii Spiritus interſint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Quorum profecto flamma amor eſt; quia quo ſubtilius claritatem divinitatis ejus aſpiciunt, eo validius in ejus amore flammeſcunt.* Hinc ait Div. Thom. laudato loco ad 5. *Nomen Seraphim non imponitur tantum a charitate ſed a charitatis exceſſu...* Unde Dionyſ. cap. 7. Cæleſt. Hierarc. *Exponit nomen Seraphim ſecundum proprietatem ignis, in quo eſt exceſſus caliditatis. In igne autem tria poſſumus conſiderare. Primo quidem motum, qui eſt ſurſum, & qui eſt continuus; per quod ſignificat, quod indeclinabiliter moventur in Deum. Secundo vero virtutem activam ejus, quæ eſt calidum. Quod quidem non ſimpliciter invenitur in igne, ſed cum quadam acuitate, quia eſt maxime penetrativus in agendo, & pertingit uſque ad minima, & iterum cum quodam ſuperexcedente fervore. Et per hoc ſignificatur actio hujuſmodi Angelorum, quam in ſubditos potenter exercent, eos in ſublimem fervorem excitantes, & totaliter eos per incendium purgantes. Tertio conſideratur in igne claritas ejus. Et hoc ſignificat, quod hujuſmodi Angeli in ſeipſis habent inextinguibilem lucem, & quod alios perfecte illuminant.*

XII. Cherubim (inquit D. Thom. citatus ad 5. nomen *imponitur a quodam exceſſu ſcientiæ, unde interpretatur plenitudo ſcientiæ. Quod Dionyſius* (cap. 7. Cæleſt. Hier.) *exponit quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad perfectam Dei viſionem. Secundo quantum ad plenam ſuſceptionem divini luminis. Tertio quantum ad hoc, quod in ipſo Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum a Deo derivatam. Quarto quantum ad hoc, quod ipſi pleni exiſtentes hujuſmodi cognitione, eam copioſe in alios effundunt.*

XIII. Throni dicuntur, quia Deum ita reſpiciunt, ut peculiariter in eis ſedentem, & in eis illuminationibus ſuis ultimate conquieſcentem. Ideoque Throni dicuntur, quaſi ſedes Dei *per convenientiam ad materiales* (inquit D. Thom. ad 6.) *in quibus eſt quatuor conſiderare. Primo quidem ſitum, quia ſuper terram ſedes elevantur: & ſic ipſi Angeli, qui Throni dicuntur, elevantur uſque ad hoc, quod in Deo immediate rationes rerum cognoſcant. Secundo in materialibus ſedibus conſideratur firmitas, quia in ipſis aliquis firmiter ſedet; hic autem eſt e converſo: nam ipſi Angeli firmantur per Deum. Tertio quia ſedes ſuſcipit ſedentem, & in ea deferri poteſt. Sic & ipſi An-*

geli ſuſcipiunt Deum in ſeipſis, & cum quodammodo ad inferiores fuerunt. Quarto ex figura; quia ſedes ex una parte aperta ad ſuſcipiendum ſedentem: ita & iſti Angeli ſunt per promptitudinem aperti ad ſuſcipiendum Deum, & famulandum ipſi. Et his tribus Ordinibus concluditur prima Hierarchia Angelorum.

XIV. Secundam vero Hierarchiam, quæ rebus creatis præeſt, & ad quam ſpectat generalis diſpoſitio rerum agendarum conſtituunt *Dominationes*, ſic dictæ; quia quodam ſuperioritatis exceſſu diſtribuunt aliis ea, quæ ſunt agenda. Dominorum enim *eſt præcipere de agendis* (inquit Div. laudato loco ad 3.) *& ideo Gregorius dicit homilia 34. in Evangel. quod quædam Angelorum agmina, pro eo, quod eis cætera ad obediendum ſubjecta ſunt, Dominationes vocantur.*

XV. Sequitur Ordo *Virtutum*. Hæ jam incipiunt generalia opera exequi: unde important exceſſum quemdam fortitudinis. *Quare Dionyſius dicit 8. cap. Cæleſtis Hierarchiæ, quod nomen Virtutum ſignificat quamdam virilem & inconcuſſam fortitudinem: primo ad omnes operationes divinas eis convenientes; ſecundo ad ſuſcipiendum divina. Et ita ſignificat, quod ſine aliquo timore aggrediuntur divina, quæ ad eos pertinent.* Ita apud Div. Thom. citato loco *ad* 1. & proinde ſigna, & prodigia patrare virtute divina eis maxime convenit, ut ait D. Thom. & Gregor. *Homil. 34. in Evang.*

XVI. Succedunt tertio *Poteſtates*. Harum character eſt inconcuſſum divinæ Providentiæ ordinem ſervare, adverſas Poteſtates arcendo, vel repellendo, ne illum turbent: ideoque harum officium maxime eſt Dæmones coercere. Hinc Gregorius Homil. 34. in Evangel. *Poteſtates* (inquit) *vocantur hi, qui hoc potentius cæteris in ſuo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adverſæ ſubjectæ ſint, quorum poteſtate refrenanſitudinem: primo ad omnes operationes divinas eis conveniens: divina. Et ita ſignificat, ſecundo ad ſuſcipiendum tur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantumvolunt*. Et his tribus ſecunda Hierarchia continetur.

XVII. Tertiam, & ultimam Hierarchiam conſtituunt *Principatus, Archangeli, & Angeli*. Ad iſtam pertinet executioni mandare, & applicare cauſis particularibus ordinem divinæ Providentiæ. *Principatus* ergo teſte Div. Thom. allato ad 4. *dicuntur ex eo, quod principantur omnibus Cæleſtibus virtutibus divinas viones explentibus*. Et Div. Gregorio Homil. 34. in Evang. *Principatus etiam vocantur, qui ipſis quoque bonis Angelorum ſpiritibus præſunt, qui ſubjectis aliis, dum quæque ſunt agenda, diſponunt, ei ad explenda divina miniſteria principantur*. Inter Principatus vero, & Dominationes hoc intereſt, ex D. Thom. *ad* 3. quod Dominationum eſt imperare, Domini enim eſt præcipere de agendis, ſicut & Poteſtatum eſt ordinare, quæ a ſubditis ſunt exequenda, removendo maxime impedimenta. Principatuum vero eſt, eſſe primos in executione, ſeu alios ducere ad executionem. Illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos exiſtentes, Principes proprie vocantur.

XVIII. Archangeli inter principatus, & Angelos medii ex D. Thom. *ad* 4. ſic dicuntur, quaſi Principes Angeli; quia reſpectu Angelorum ſunt Principes, reſpectu Principatuum ſunt Angeli; quia ſoli Ordini Angelorum principantur, quaſi magna nunciantes. Unde Gregorius Homil. 34. in Evangel. *Iſi autem* (inquit) *qui minima nunciant, Angeli; qui vero ſumma annunciant, Archangeli vocantur*. Ex quo infert, ad annunciandum Mariæ ſummum Incarnationis Sacramentum non Angelum, ſed Archangelum mitti debuiſſe.

XIX. Angeli demum, qui in infimo Ordine collocantur, communi nomine Angeli dicuntur, quia ad communia, & minima miniſteria delegantur. Ex his cuilibet homini particulari, ut dicemus, unus deputatur ad cuſtodiam. Quamvis publicarum Perſonarum, ut Pontificum, Imperatorum, & Regum curæ, non Angelos, ſed Archangelos, immo & Principatus deputari putet D. Bernardus *lib. 5. de Conſider. cap. 4.* dicens: *Putamus Angelos dici... qui ſinguli ſingulis hominibus dati creduntur... Putamus his præeſſe Archangelos, qui conſcii myſteriorum divinorum nonniſi ob præcipuas, & maximas cauſas mittuntur*. Principatus vero, ait enim, *Putemus Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine, & ſapientia omnis in terris Principatus conſtituitur*, regitur &c. Hiſce ergo tribus Ordinibus tertia, & infima angelica Hierarchia completur.

XX. Contra dicta objicies primo. Charitas, ſcientia, & cæteræ dotes, quibus diſtinximus Seraphim a Cherubim, & cæteros Angelorum Ordines, ſunt communes omnibus; ergo male inde ſumpſimus diſtinctionem.

XXI. Reſpondeo, nos Seraphim a charitate, Cherubim a ſcientia, & alios ab aliis dotibus ſecernere, non quomodocumque, ſed ab exceſſu. Unde ab exceſſu charitatis dicimus Seraphim, ab exceſſu ſcientiæ vocamus Cherubim, & ſic de aliis, ut dictum eſt. Unde bene ſubſiſtit diſtinctio.

XXII. Objicies ſecundo. Scientia in Patria nobilior eſt charitate, unde in ſcientia collocamus beatitudinem; ergo male Seraphim a charitate dictos præferimus Cherubim a ſcientia nuncupatis.

XXIII. Reſpondet Div. Thom. hac qu. 108. art. 6. ad 3. *Quod..... cognitio eſt, ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente; amor autem ſecundum quod amans unitur rei amatæ. Superiora autem nobiliori modo ſunt in ſeipſis, quam in inferioribus: inferiora vero nobiliori modo ſunt in ſuperioribus, quam in ſeipſis. Et ideo inferiorum quidem cognitio præeminet dilectioni; ſuperiorum autem dilectio, & præcipue Dei, præeminet cognitioni*. Dici etiam poteſt, quod Seraphim præferuntur Cherubim; quia conſiderantur ſecundum ſtatum hujus vitæ, ubi amor ſcientiæ præfertur. Quod ſi conſiderentur reſpectu ad ſtatum Patriæ, in quo ſcientia amorem præcellit, Cherubim præferuntur Seraphim, & in hoc ſenſu reſpexit Cherubim Div. Gregor. *Homil. 34. in Evangel.* dum illos ſupra Seraphim extulit.

XXIV. Quæres primo, an hi Ordines remanſuri ſint poſt diem Judicii?

Reſpondeo cum Div. Thom. qu. 108. citata art. 7. *Quod in Ordinibus Angelorum duo poſſunt conſiderari, ſcilicet diſtinctio graduum, & executio officiorum. Diſtinctio autem graduum eſt in Angelis ſecundum differentiam gratiæ, & naturæ.... Et utraque differentia ſemper in Angelis remanebit. Non enim naturarum differentiæ ab eis auferri poſſent, niſi eis corruptis. Differentia etiam gloriæ erit in eis ſemper ſecundum differentiam meriti præcedentis. Executio autem officiorum angelicorum aliquo modo remanebit poſt diem Judicii, & aliquo modo ceſſabit. Ceſſabit quidem ſecundum quod eorum officia ordinantur ad perducendum aliquos ad finem* (& in hoc ſenſu dicit Paul. 1. *ad Corint.* 15. quod Chriſtus evacuabit omnem Principatum, & Poteſtatem, cum tradiderit regnum Deo, & Patri) *Remanebit autem ſecundum quod convenit in ultima finis conſecutione; ſicut etiam alia ſunt officia militarium ordinum, in pugna, & in triumpho*. Hæc S. Doct. qui *ad* 3. addit, quod *illi qui jam ſalutem erunt conſecuti, aliquam illuſtrationem habebunt per Angelorum officia*.

XXV. Quæres ſecundo, an in malis Angelis diverſitas Ordinum remanſerit?

Reſpondeo cum Div. Thom. 1. par. qu. 109. art. 1. Quod ſi Ordo attendatur ſecundum perfectionem gloriæ, *ſic Dæmones neque ſunt in Ordinibus angelicis, neque nunquam fuerunt. Si autem conſiderentur quantum ad id, quod eſt gratiæ imperfectæ, ſic Dæmones fuerunt quidem in ordinibus Angelorum: ſed ab eis conciderunt, ſecundum id, quod ſupra poſuimus, omnes Angelos in gratia creatos fuiſſe. Si autem conſiderentur quantum ad id, quod eſt naturæ, ſic adhuc ſunt in Ordinibus, quia data naturalia non amiſerunt*. Hæc Div. Thom.

XXVI. Ex his inferunt, in Dæmonibus eſſe prælationem unius ſupra alterum. Ita Div. Thom. relatus *art.* 2. Cum enim Dæmonum quidam naturali ordine ſub aliis conſtituantur; ſequitur, quod actiones eorum ſub actionibus ſuperiorum ſint: ſicut quia inferiora corpora naturali ordine ſunt infra corpora Cæleſtia, actiones & motus eorum ſubduntur actionibus, & motibus Cæleſtium corporum: Et hoc eſt, quod rationem prælationis facit, ut ſcilicet actio ſubditi ſubdatur actioni Prelati.

XXVII. In Dæmonibus tamen non eſt illuminatio proprie; quia hæc *eſt manifeſtatio veritatis, ſecundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum*. Perverſitas autem Dæmonum hoc habet, quod unus alium non intendit ordinare ad Deum, ſed magis ab Ordine divino abducere. Unde in illis eſt ſolum manifeſtatio veritatis per modum locutionis, ſecundum quod unus alteri ſuum conceptum manifeſtat. Ita ex Div. Thom. ibi *art.* 3.

XXVIII. In bonis Angelis prælationem eſſe ſuper malos docet S. Doct. ibi *art.* 4. Cum enim creaturæ, quo magis Deo appropinquant, habeant influentiam ſuper alias, & boni Angeli Deo appropinquent, a quo mali receſſerunt; ideo boni Angeli ſuper malos prælationem habent, & hi per eos regunt. Et licet aliquis ex bonis inferior ſit malis ordine naturæ; adhuc tamen præeſt Dæmonibus, quamvis ordine naturæ ſuperioribus: *Quia virtus divinæ juſtitiæ, cui inhærent boni Angeli, potior eſt, quam virtus naturalis angelorum*. Ita ibi *ad* 3.

DUBIUM II.

De Actione Angelorum in Homines.

§. I.

An Angelus agere poſſit in Intellectum, & Voluntatem Hominis?

I. Dico primo. Angelus agere poteſt in intellectum hominis, illuminando ipſum. Ita Div. Thom. 1. *par. qu.* 111. *art.* 1. Quia cum divinæ *Providentiæ ordo habeat, ut actionibus ſuperiorum inferiora ſubdantur.... ſicut inferiores Angeli illuminantur per ſuperiores; ita homines, qui ſunt Angelis inferiores, per eos illuminantur*. Aliter autem Angeli illuminant inferiores Angelos, aliter homines. Nam inferiorem Angelum illuminat ſuperior ſecundum quod veritatem intelligibilem univerſalem, quam in ſe habet, dividit ſecundum capacitatem inferioris Angeli, ut ſupra diximus, agentes de illuminatione angelorum. Hominem autem, qui veritatem intelligibilem nudam capere non poteſt, niſi phantaſmatibus ſenſibilibus involvatur, illuminat proponendo ei veritatem intelligibilem ſub ſenſibilibus ſimilitudinibus.

II. Quamvis autem homo non ſentiat, ſe illuminari ab Angelo, experitur tamen rem ſibi fieri manifeſtam, quod ſufficit. Nam ut docet S. Doct. ibi *ad* 3. illuminatio ſumi poteſt, vel *ex parte rei intellectæ: & ſic quicumque intelligit, vel illuminatur, cognoſcit ſe intelligere, vel illuminari; quia cognoſcit, rem ſibi eſſe manifeſtam. Alio modo ex parte principii, & ſic non quicumque intelligit aliquam veritatem, cognoſcit, quid ſit intellectus, qui eſt principium intellectualis operationis. Et ſimiliter non quicumque illuminatur ab Angelo, cognoſcit ſe ab Angelo illuminari.*

III. Dico ſecundo. Angelus non poteſt interius agere in voluntatem hominis immediate, ſed ſolum exterius ſuadendo. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 111. *art.* 2. & *q.* 106. *art.* 2. ubi idem aſſerit in ordine ad poſſe immutare voluntatem alterius Angeli; & utrobique docet, voluntatem poſſe immutari dupliciter. Uno modo ab interiori: & ſic cum motus voluntatis non ſit aliud, quam inclinatio voluntatis in rem volitam; ſolius Dei eſt, ſic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis. Sicut enim inclinatio naturalis non eſt niſi a Deo; ita inclinatio voluntaria non eſt niſi a Deo, qui cauſat voluntatem. Alio modo movetur voluntas ab exteriori; & hoc in Angelo eſt quidem uno modo tantum, ſcilicet a bono apprehenſo per intellectum, ſicut appetibile movet appetitum, & ille, qui demonſtrat objectum, puta, qui demonſtrat, aliquid eſſe bonum. Et hoc modo Angelus movere poteſt voluntatem hominis. Quia tamen nihil ſufficienter movet voluntatem, niſi ſolus Deus clare viſus, quia eſt, & proponitur ut undequaque bonus; ideo ſolus Deus clare viſus movet ſufficienter, & efficaciter voluntatem; Angelus vero proponens quodcumque objectum inclinare quidem poteſt per modum ſuadentis, eam tamen efficaciter movere non poteſt.

IV. Quia tamen in homine ſunt paſſiones appetitus inferioris; ideo alio modo poteſt Angelus movere voluntatem hominis, concitando hujuſmodi paſſiones, eamque ad iram, vel concupiſcentiam inclinare; non tamen ex neceſſitate: quia voluntas ſemper manet libera ad conſentiendum, ſive reſiſtendum paſſioni. Ita D. Thom. citatis lociis iiſdem fere verbis.

V. Ex quo ſequitur, ut docet idem S. Doct. *quæſt.* 111. *art.* 2. citato *ad* 2. quod Dæmones non poſſunt immittere cogitationes, interius eas cauſando, cum uſus cogitativæ virtutis ſubjaceat voluntati: poteſt tamen incitare ad cogitandum, vel ad adpetendum cogitata, per modum perſuadentis, vel paſſionem concitantis.

VI. Dices: voluntas poteſt interius movere appetitum, quia ſuperior eſt appetitu: ſed voluntas Angeli ſuperior eſt voluntate hominis; ergo eam poteſt interius movere.

VII. Reſpondeo cum D. Thom. 1. *part. q.* 109. *art.* 2. *ad* 3. quod ideo voluntas movere poteſt appetitum ſenſitivum, quia pertinet ad eamdem naturam animæ; & quia inferior appetitus eſt virtus in organo corporali; voluntas autem Angeli non pertinet ad eamdem naturam hominis, nec voluntas hominis eſt virtus in organo corporali.

§. II.

De Actione Angeli in Imaginativam, & Senſus Hominis.

VIII. Dico primo. Angelus ſive bonus, ſive malus poteſt agere in imaginativam hominis, immutando ipſam. Ita D. Thomas citata *quæſt.* 111. *art.* 3. & ſic probat. Cum natura corporalis obediat Angelo ad motum localem, poteſt Angelus virtute ſuæ naturæ cauſare ea, quæ ex motu locali aliquorum corporum cauſari poſſunt: ſed apparitiones imaginariæ cauſantur in nobis internum ex locali mutatione corporalium ſpirituum, & humorum; ergo &c. Min. probat ex Ariſtotele *lib. de Somn. & vigil. c.* 3. & 4. qui aſſignans cauſam apparitionis ſomniorum, dicit: *Quod cum animal dormit, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, ſimul deſcendunt motus, ideſt impreſſiones relictæ ex ſenſibilibus motionibus, quæ in ſpiritibus ſenſualibus conſervantur, & movent principium ſenſitivum; ita quod ſit quædam apparitio, ac ſi tunc principium ſenſitivum a rebus exterioribus mutaretur. Et tanta poteſt eſſe commotio ſpirituum, & humorum, quod hujuſmodi apparitiones etiam vigilantibus fiant; ſicut patet in phreneticis, & aliis hujuſmodi. Sicut igitur hoc fit per naturalem commotionem humorum, & quandoque etiam per voluntatem hominis, qui voluntarie imaginatur quod prius ſenſerat: ita etiam hoc poteſt fieri virtute Angeli boni, vel mali; quandoque quidem cum alienatione a corporeis ſenſibus: quandoque autem abſque tali alienatione.*

IX. At inquies. Illa commotio phantaſiæ facit apparere res, quæ non ſunt, ac ſi eſſent, in quo eſt deceptio; ergo ſaltem Angeli boni, qui non poſſunt decipere, phantaſiam non commovent.

X. Reſpondeo cum D. Thom. *artic.* 3. citato *ad* 4. vel nullam eſſe deceptionem; vel ſi eſt, eam non eſſe ex parte Angeli commoventis, ſed ex defectu ejus, cui talia apparent. *Angelus* enim (inquit D. Thom) *cauſans aliquam imaginariam viſionem, quandoque quidem ſimul intellectum illuminans, ut cognoſcat quid per ejuſmodi ſimilitudines ſignificetur: & tunc nulla eſt deceptio. Quandoque vero per operationem Angeli ſolummodo ſimilitudines rerum apparent in imaginatione: Nec tamen cauſatur tunc deceptio ab Angelo, ſed ex defectu intellectus ejus, cui talia apparent: ſicut nec Chriſtus fuit cauſa deceptionis in hoc, quod multa turbis in parabolis propoſuit, quæ non expoſuit eis.*

XI. Hinc colligo, Angelos etiam malos virtute ſui naturalis acuminis noſſe, quid homines imaginativa, vel cogitativa volvant. Quare D. Auguſt. *lib.* 2. *contra Academicos cap.* 6. & 7. refert de quodam Mago nomine Albicerio, qui certo divinabatur ea, quæ homines cogitarent. Unde interrogatus a quodam: dic mihi, quid in præſens animo volvam? *Virgilii verſum eum cogitare reſpondit. Cumque ille obſtupefactus negare non poſſet, perrexit quærere, quinam verſus eſſet? Nec Albicerius, qui Grammatici ſcholam vix tranſiens vidiſſet aliquando verſum ipſum ſecurus, & garrulus canere dubitavit.* Quod non aliter, niſi ope Dæmonis imaginativam, & cogitativam hominis penetrantis fieri potuiſſe, Auguſtinus ipſe fatetur.

XII. Dico ſecundo. Angelus ſive bonus, ſive malus agere poteſt in ſenſus exteriores hominis, eoſque immutare. Ita S. Thom. citato *art.* 4. Angeli enim, qui Sodomam ſubverterunt, percuſſerunt Sodomitas cæcitate, ut oſtium domus invenire non poſſent; ut dicitur *Geneſ.* 19. & ſimile legitur 4. *Regum* 6. de Syris, quos Eliſæus duxit in Samariam.

Probat etiam S. Doct. hoc diſcurſu. Senſus immutatur dupliciter. *Uno modo ab exteriori, ſicut cum immutatur a ſenſibili. Alio modo ab interiori, videmus enim, quod perturbatis ſpiritibus, & humoribus immutatur ſenſus. Lingua enim infirmi, quia plena eſt cholerico humore, omnia ſentit ut amara; & ſimile eſt de aliis ſenſibus. Utroque autem modo Angelus poteſt immutare ſenſum hominum ſua naturali virtute. Poteſt enim Angelus opponere exterius ſenſui ſenſibile aliquod, vel a natura formatum, vel aliquod de novo formando, ſicut facit, dum corpus aſſumit... Similiter poteſt etiam interius commovere ſpiritus, & humores, ut ſupra dictum eſt, ex quibus ſenſus diverſimode immutentur.* Eſto autem Angelus ſua virtute non poſſit facere aliquid præter ordinem totius creaturæ; poteſt tamen facere aliquid præter ordinem naturæ particularis, cum tali ordini non ſubdatur: & ſic poteſt ſenſum particulari modo interius immutare, quamvis ſecundum curſum communem non immutetur, niſi a ſenſibili. Ita D. Thom. ibi *ad* 3.

DUBIUM III.

De Miſſione Angelorum ad Homines.

§. I.

Oſtenditur Angelos mitti.

I. De hoc agit D. Thom. 1. *part. quæſt.* 112. ubi *art.* 1. reſolvit, aliquos Angelos a Deo mitti in miniſterium hominum, & probat. Quia ille mitti dicitur ab alio, qui aliquo modo ab alio procedit, ut incipiat eſſe, ubi prius non erat, vel ubi prius erat per alium modum: Filius enim, aut Spiritus Sanctus mitti dicitur, quia a Patre procedens per originem, incipit eſſe novo modo, ideſt per gratiam, aut naturam aſſumptam, ubi prius erat per Deitatis præſentiam: ſed Angeli per quamdam proceſſionem a Deo, nempe per imperium, incipiunt eſſe, ubi prius non erant. Cum Angelus ibi ſit, ubi agit, ut ſupra oſtenſum eſt; & virtus Angeli, quia limitata, & particularis, non attingat totum Univerſum ſimul, ſed ſic attingat unum, ut non attingat aliud, fit, ut ita ſit hic, ubi virtus ejus applicatur, quod, non alibi; & ubi incipit operari, ibi incipiat eſſe; & ſi ex Dei imperio hoc fiat, illuc dicatur mitti, & conſequenter in miniſterium: nam actio, quæ ex alterius imperio fit, miniſterialis eſt, quia ordinatur ad finem mittentis. Tota hæc eſt Doctrina S. Thomæ laudato loco.

II. Hæc eſt doctrina fidei. Nam *Exod.* 33. *v.* 2. ait Deus Moyſi: *Mittam præcurſorem tui Angelum*. Tobiæ 12. v. 20. Raphael dixit Tobiæ: *Tempus eſt ergo, ut revertar ad eum, qui me miſit*. Matth. 13. v. 41. *Mittet filius hominis Angelos ſuos*, & Lucæ 1. v. 26. *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo.*

III. Supponendum tamen cenſeo, quod ſicut miſſio divinarum Perſonarum alia eſt viſibilis, ut miſſio Verbi ad naturam humanam; alia inviſibilis, ut miſſio Spiritus Sancti in animam juſti per gratiam, ita miſſio Angelorum alia eſt viſibilis, qua mittuntur ad aliquod exterius miniſterium in his inferioribus exercendum: alia inviſibilis, quia ex Dei mandato ſuperiores illuminant inferiores. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 112. *artic.* 2. *ad* 1.

Inſuper ad miniſterium exterius Angelus mitti poteſt, vel immediate, nempe ad exercendum per ſeipſum aliquod opus: vel mediate ſolum, nimirum ad movendum alios per imperium, ex ſpeciali ordinatione divina, ad aliquod opus immediate exercendum.

Denique ſuppono, omnes Angelos mitti miſſione viſibili, aut inviſibili, mediata, vel immediata; quia vel exercent exterius miniſterium, vel alios movent ad illud exercendum: denique omnes ſuperiores illuminant inferiores. Difficultas eſt, an omnes mittantur miſſione viſibili immediate. De quo ſit

§. II.

An omnes Angeli ex quolibet Ordine immediate mittantur Miſſione viſibili?

IV. Variæ circa hoc ſunt ſententiæ. Scotus, Durandus, Molina, Valentia, & alii cenſent, omnes Angelos immediate mitti miſſione viſibili; inferiores quidem regulariter, ſupperiores vero extraordinarie, & ex ſpeciali Dei diſpenſatione. Becanus vero *Tom.* 1. *Opuſculorum opuſc.* 14. *de Offic. Angel. cap.* 2. cenſet, ex omnibus Ordinibus regulariter ad nos Angelos mitti. S. Thomas autem cum SS. Dio-

nyſio, & Gregorio hic *qu.* 112. *art.* 2. & 4. docet, Angelos primæ Hierarchiæ, qui & Aſſiſtentes dicuntur, nempe Seraphim, Cherubim, & Thronos, & primum Ordinem ſecundæ Hierarchiæ, qui eſt Dominationum, nunquam ad nos mitti ad exteriora miniſteria immediate ſaltem; quamvis dici poſſent mitti mediate, quatenus alios movent ad illa exercenda. Cum quo

V. Dico. Nec de lege ordinaria, nec extraordinaria Angeli quatuor priorum Ordinum, Seraphim, Cherubim, Throni, & Dominationes ad exteriora miniſteria exercenda mittuntur, ſed ſolum Angeli Ordinum inferiorum, ſcilicet Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, & Angeli. Prior pars probatur ratione D. Thom. hic art. 4. *Angeli illorum Ordinum ad exterius miniſterium* (ſaltem regulariter) *mittuntur, ex quorum nominibus aliqua executio datur intelligi*: ſed in nominibus quatuor priorum Ordinum nulla intelligitur executio; ergo &c. Min. prob. Nec enim ardor charitatis, qui exprimitur nomine Seraphin, nec plenitudo ſcientiæ, quam exprimit nomen Cherubim, nec quies mentis, ſeu ſedes Dei, quæ intelligitur nomine Throni, nec imperium, quod Dominationis exprimit nomen, indicant aliquod miniſterium exterius, bene autem nomina ſequentium Ordinum. Nam ad Virtutes pertinet dare poteſtatem ordinatam aliis exequendi; ad Poteſtates arcere adverſa; ad Principatus inter operantes principes, ſeu priores exiſtere, ut ait Gregorius *Hom.* 34. *in Evang.* ad Archangelos nunciare magna, & ad Angelos parva, ergo &c.

VI. Probatur ſecundo. Ordines angelici dividuntur in Ordines Miniſtrantium, & Aſſiſtentium; ergo ſicut qui ſunt de Ordine Miniſtrantium non aſſiſtunt: ita qui ſunt de Ordine Aſſiſtentium non miniſtrant; alias inepta foret præfata diviſio. *Angeli* (inquit S. Thom. hic art. 3.) *introducuntur aſſiſtentes, & miniſtrantes, ad ſimilitudinem eorum, qui alicui Regi famulantur, quorum aliqui ſemper ei aſſiſtunt, & ejus præcepta immediate audiunt; alii vero ſunt, ad quos præcepta regalia per Aſſiſtentes nunciantur, ſicut illi, qui adminiſtrationi civitatum præficiuntur; & hi dicuntur miniſtrantes, ſed non aſſiſtentes.*

VII. Addit tamen D. Thom. quod cum omnes Angeli beati eſſentiam divinam videant, *quantum ad hoc omnes, etiam qui miniſtrant, aſſiſtere dicuntur*. Sed cum non omnes ſecreta divinorum myſteriorum in ipſa claritate divinæ eſſentiæ percipere poſſint, ſed ſoli ſuperiores, per quos inferioribus denunciantur; ſecundum hoc ſoli ſuperiores primæ Hierarchiæ, cujus ſolius proprium eſt immediate a Deo illuminari, aſſiſtere dicuntur.

VIII. Secunda vero pars probatur ex Doctrina S. Thom. hic *art.* 2. Ordo communis divinæ Providentiæ eſt, quod ſuperiora principentur, & inferiora ſolum miniſtrent, ut in Angelis, & in toto Univerſo apparet: ſed nulla videtur ratio in caſu, cur ab ordine diſpenſetur; ergo &c. Min. prob. Ideo iſte ordo in naturalibus aliquando diſpenſatur, quia ſic exigit altior ordo, nempe gratiæ, vel fidei confirmatio: ſed ordo Miſſionis angelicæ, cum ſpectet ad ordinem gratiæ, non habet altiorem ordinem; ergo &c. —— Deinde nihil eſt ita magnum, quod per inferiores Angelos exerceri non poſſit. Quid enim majus, quam Incarnationis annuntiatio, quod tamen per Archangelum, qui eſt in inferiori ordine, fuit annunciatum?

IX. Sed contra opponitur primo illud ad Hebræos *cap.* 1. *ver.* 14. ubi de Angelis Paulus dicit: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, &c.?*

X. Reſpondet D. Thom. hic *art.* 2. *ad* 1. omnes Angelos eſſe in miniſterium miſſos miſſione, vel viſibili, & externa, vel inviſibili, & interna. Secundum primam non omnes mittuntur, quia eſt circa exteriora corporalia, bene tamen ſecundum alteram, quæ eſt circa intellectuales effectus. *Vel aliter dicendum* (inquit S. Doctor. ibi) *quod Apoſtolus inducit illud ad probandum, quod Chriſtus ſit major Angelis, per quos data eſt lex; ut ſic oſtendat excellentiam novæ legis ad veterem. Unde non oportet, quod intelligatur, niſi de Angelis miniſterii, per quos data eſt lex.* Vel dicendum, omnes quidem eſſe adminiſtratorios Spiritus; ſed alios exercendo exterius miniſterium, alios movendo, & deferendo divina mandata pro executione.

XI. Opponuntur ſecundo. Iſaiæ *6. ver.* 6. & 7. dicitur: *Et volavit ad me unus de Seraphim . . . & tetigit os meum*: quibus oſtenditur, a Seraphim purgata fuiſſe labia Prophetæ; ergo Seraphim mittuntur ad miniſterium exterius, & quidem immediate.

XII. Reſpondet D. Thom. hoc art. 2. ad 2. neg. conſeq. Nam *ſecundum Dionyſium ille Angelus, qui miſſus eſt ad purgandum labia Prophetæ, ſit de inferioribus Angelis: ſed dictus eſt Seraphim, ideſt incendens æquivoce, propter hoc, quod venerat ad incendendum labia Prophetæ.*

Vel dicendum, quod ſuperiores Angeli communicant propria dona, a quibus denominantur, mediantibus inferioribus Angelis. Sic igitur unus de Seraphim dictus eſt, purgaſſe incendio labia Prophetæ: non quia hoc ipſe immediate fecerit; ſed quia inferior Angelus virtute ejus hoc fecerit. Sicut Papa dicitur abſolvere aliquem, etiamſi per alium officium abſolutionis impendat. Nec obeſt, quod dicatur: *Volavit ad me unus de Seraphim.* Poteſt enim intelligi, quod volaverit, non per ſe, ſed per alium. Sicut accedere dicitur *Matth.* 8. Centurio ad Chriſtum; qui tamen Lucæ 7. de ſeipſo dicit, quod non judicavit ſe dignum venire ad eum: ſed acceſſiſſe dicitur, quia ipſe miſerat eos, qui accedebant. Hunc eſſe ſuetum morem loquendi etiam in Scripturis, docet Aug. *lib.* 2. *de Conſenſu Evangeliſtarum cap.* 20. Eo vel magis, quia ibi Propheta hiſtorice non narrat, quæ facta ſunt, ſed quæ in viſione imaginaria ſibi fuerant repræſentata; nec dicit: *Ad me miſſus eſt*, ſed *Volavit ad me*; quod bene potuit per alium a Seraphim miſſum fieri.

XIII. Utramque hanc reſponſionem probat S. Gregor. *Homil.* 34. *in Evangelia*, ait quippe: *Qui enim, ut peccata locutionis incendat, de altari Angelus carbonem portat, Seraphim vocatur, quod incendium dicitur. Huic autem ſenſui, & illud creditur non inconvenienter opitulari, quod per Danielem dicitur* (7. verſ. 10. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. *Aliud namque eſt miniſtrare, aliud aſſiſtere: quia hi adminiſtrant Deo, qui ad nos nuntiando exeunt, aſſiſtunt vero, qui ſic contemplatione intima perfruuntur, ut ad explenda foras opera minime mittantur.*

Sed quia in quibuſdam Scripturæ locis, quædam per Cherubim, quædam vero per Seraphim agi didicimus; utrum per ſe hæc faciant, an per ſubjecta agmina agantur, quæ ſicut dicitur, in eo, quod a majoribus veniunt, majorum vocabula ſortiuntur; nos affirmare nolumus, quod apertis teſtimoniis non approbamus. Hoc tamen certiſſime ſcimus, quia ad explendum de ſupernis miniſterium, alii Spiritus alios mittunt, Zacharia ſcilicet Propheta teſtante, qui ait: Ecce Angelus, qui loquebatur ad me egrediebatur: & ecce alius Angelus in occurſum ejus & dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum iſtum, dicens: Abſque muro habitabitur Jeruſalem. *Dum enim Angelus ad Angelum dicit*, Curre, & loquere, *Dubium non eſt, quia alius alium mittit. Minora vero ſunt, quæ mittuntur, majora, quæ mittunt &c.* Ubi dum aſſerit, certum eſſe majoris Ordinis Angelum mittere inferiorem; probabile relinquit (licet affirmare nolit) id, quod Seraphim Iſaias tribuit, per alium Angelum ejus juſſu factum fuiſſe.

XIX. Eodem modo reſpondetur ad id, quod dicitur Gen. 3. v. 24. quod Deus *collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim*. Non enim ille fuit ſecundi Ordinis primæ Hierarchiæ unus (illud namque miniſterium claudendi viam ligni vitæ adeo excellens non erat, ut ei deputandus foret ex primis Ordinibus Angelus) ſed magis fuit ex infima Hierarchia; dictus propterea Cherubim, quia deſtinatus cuſtos Paradiſi, in quo erat lignum Scientiæ; & vindex peccati Adæ, qui inordinato ſcientiæ amore peccavit. Vel ut ait Pererius in Gen. l. 6. diſp. de Cherubim q. 6. *Angeli, quibus cuſtodia Paradiſi aſſignata eſt, rite nominati ſunt Cherubim ex abundantia ſcientiæ; ut ex eo intelligeretur, & vigilantiſſimum, & ſapientiſſimum Paradiſi cuſtodem eſſe a Deo poſitum, quem ſcilicet nemo aut dolis fallens, aut viribus vincens, in Paradiſum intrare poſſet.*

XV. Opponitur tertio. Raphael, qui ad Tobiam miſſus eſt c. 12. v. 15. *Ego* (inquit) *ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Aſtare autem, & aſſiſtere proprium eſt eorum, qui ſunt ſupremi.

XVI. Reſpondeo primo, quod uſu Scripturæ nomen *ſeptem* non ſemper deſignat determinatum numerum, ſed ſæpe ingentem multitudinem. Secundo, ly *aſtamus*, non ſemper ſtricte accipitur pro Angelis, qui ſolum aſtant, ſed late pro iis etiam, qui aſtant Deo parati ad miniſtrandum: ex quo colligitur, Raphaelem eſſe unum ex ſeptem, quibus a Deo graviora negotia committuntur. Unde explicans ſuum officium, v. 12. *Ego* (inquit) *obtuli orationem tuam Domino*, quod non eſt ſupremæ munus Hierarchiæ, ſed infimæ.

XVII. Opponitur quarto. Gabriel (teſte D. Bernardo *Homil.* 1. *ſuper Miſſus eſt*) tantæ eſt excellentiæ inter Angelos, ut ipſe ſolus dignus inventus fuerit, cui Deus myſterium Incarnationis confideret nunciandum; ergo fuit de ſupremis, & tamen miſſus.

XVIII. Reſpondeo, neg. conſeq. Non enim Gabriel eſt de ſuprema Hierarchia, nec Ordine ſupremo, ſed eſt de ſupremis, eorum, qui mittuntur: nec aliud intendit Divus Bernardus. Cujus ſignum eſt, quod Gabriel ſæpius mittitur, ut conſtat *Daniel.* 8. & 9. quod non contingeret, ſi inter abſolute ſupremos eſſet.

XIX. Opponitur quinto, *Michael* (inquit Dan. 10. v. 13.) *unus de Principibus primis venit in adjutorium meum*; ergo Michael eſt unus de Angelis primis, & tamen dicitur miſſus.

XX. Reſpondeo, Michaelem dici unum de principibus primis, non quod ſit Angelus ſupremi Ordinis, & Hierarchiæ: eſt enim Archangelus, ideſt ſecundi Ordinis tertiæ Hierarchiæ: ſed quia Archangeli dicuntur Principes Angelorum. Unde D. Thom. 1. p. 4. 108. art. 5. ad 4. *Archangeli* (inquit) *dicuntur quaſi Principes Angeli, quia reſpectu Angelorum ſunt Principes.* Rurſus *q.* 113. *art.* 3. *de Archangelis*, ait: quod *dicuntur Principes Angelorum. Unde & Michael, quem Archangelum dicimus, unus de Principibus dicitur Dan.* 10. & Hieron. *in c.* 10. *Dan.* ait: *Principes autem primos, Archangelos intelligimus.* Poteſt etiam dici, Michaelem eſſe de ordine Principatuum, ſuperiorem Gabriele, qui eſt ſummus in Ordine Archangelorum ex D. Th. 3. *p. q.* 30. *art.* 2. *ad* 4. Et ratio eſt. Quia *Dan.* 8. teſte D. Hier. Michael imperarat Gabrieli dicens: *Gabriel fac intelligere iſtam viſionem.* Qui autem imperat, ſuperior eſt.

XXI. Sed inquies. Michael eſt, qui Luciferum, & Angelos ejus debellavit: ſed Lucifer, ut diximus ſupra cum D. Th. fuit unus de abſolute ſupremis; ergo & Michael.

XXII. Re-

XXII. Reſpondeo, neg. conſeq. Immo ſicut Deus peccatum ſuberbiæ Luciferi, quamvis ſpiritus, ponit per infimam creaturam, nempe ignem corporalem: ita ſuperbiam ejus confundere, & proſtrare voluit per Michaelem, & angelos, quamvis Ordinis longe inferioris. Probabiliter tamen aliqui volunt, Michaelem, qui pugnavit contra Diabolum, fuiſſe ſupremum inter omnes, & diverſum ab eo, qui tamquam Dux belli modo contra Dæmones colitur ab Eccleſia. Vide Sylvium in 2. *p. q.* 111. *ad.* 3.

XXIII. Opponitur ſexto. *Matth.* 21. omnes Angeli dicuntur venturi cum Chriſto ad Judicium, miniſterii ſcilicet cauſa. Inſuper veriſimile eſt, Chriſto & naſcenti, & Cælos aſcendenti omnes accurriſſe ad famulatum; ergo &c.

XXIV. Reſpondetur, neg. conſeq. Nam S. Thom. non negat, omnes Angelos mitti ad famulandum Deo; ſed ad nutiandum aliquid hominibus; vel ad aliquod ſimile miniſterium circa corporalia exhibendum.

XXV. Opponitur ſeptimo. Non debet indignum videri, ſi etiam ſuperiores Angeli mittantur, cum & ille, qui Creator eſt omnium, miſſus ſit a Patre & hæc inferiora deſcenderit.

XXVI. Reſpondeo primo. Hic non quæri, an foret, vel non foret indignum ſuperiores Angelos mitti; ſed an de facto fiat, vel non fiat. Secundo. Nec eſt ſimile de Filio divino, qui de facto miſſus fuit a Patre: miſſus enim fuit, non ad miniſtrandum hominibus, ſed ad homines redimendos, qualis eſſe non poterat ullus, qui non eſſet Deus: Angeli autem ſuperiores mitterentur ad miniſtrandum, quod per inferiores æque impleri poteſt. Unde D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 10. ait: Miſſio aut eſt ad redimendum, aut eſt ad miniſtrandum. Prima eſt tantæ dignitatis. quod nulli alii poteſt competere, niſi ſoli Deo: ſecunda vero non eſt tantæ dignitatis, quod competat agmini ſupremo.

DUBIUM IV.

De Cuſtodia Angelorum erga Homines.

§. I.

Angelos Mundo viſibili præſidere.

I. ALiquos certos Angelos toti terrarum Orbi præeſſe, & per eos viſibilem hunc Mundum gubernari, docuit D. Thom. hic *q.* 110. *art.* 1. Nam poteſtas inferior gubernatur, & regitur per ſuperiorem, & forma particularis per univerſalem. Sic inferiores Angeli, qui habent minus univerſales, reguntur per ſuperiores, & poteſtas Ballivi regitur a poteſtate Regis: ſed virtus cujuslibet corporis, immo totius Mundi corporalis, eſt inferior, & minus univerſalis, quam virtus angelica, quia virtus ſpiritualis; cum illa determinetur per materiam, hæc autem abſoluta ſit, & per ſe ſubſiſtens; ergo &c.

II. Probat etiam S. Doct. 3. *contra Gentes c.* 78. hoc diſcurſu. Ad Providentiam divinam pertinet, ut ordo ſervetur in rebus: ſed congruus ordo eſt, ut per ſuprema deſcendatur ad infima, & ſicut ſupremæ creaturæ ſunt a Deo, & gubernantur ab ipſo; ita inferiores creaturæ ſint ſub ſuperioribus, & regantur ab ipſis; ergo cum inter omnes creaturas intellectuales angelicæ ſint ſupremæ, exigit divinæ Providentiæ ratio, ut &c. Eo vel maxime, quod cum ad Providentiam requiratur, non ſolum executio, quæ fit per operativam, ſed & diſpoſitio ordinis, quæ fit per cognoſcitivam virtutem; ſicut ad regendam navem, nedum requiritur vis operativa remigantium, ſed vis ordinativa navitæ eam dirigentis; utraque hæc virtus in creaturis rationalibus adſit, in aliis vero adſit ſola virtus operativa, fit ut per creaturas rationales omnes aliæ creaturæ ſub divina Providentia regantur.

III. Hoc adeo certum eſt, ait S. Thom. *q.* 110. citata ut non ſolum a SS. Doctoribus ponatur, *ſed etiam ab omnibus Philoſophis, qui incorporeas ſubſtantias poſuerunt.* Unde Triſmegiſtus in Pymandro *c.* 1. Angelos Mundi hujus gubernatores appellat; & *c.* 8. ait, quod Deus creavit ſeptem opifices circa ſeptem circulos: hi ſunt Mundi hujus gubernatores. Quam opinionem de ſeptem Angelis amplexus quoque eſt Clemens Alexand. *lib.* 6. *Stromat. ad finem*, dicens: *Septem quidam ſunt, quorum eſt maxima potentia primogeniti Angelorum principes.* Et hoc quadam inductione conatur oſtendere. Primo. Quia ſeptem ſunt Planetæ, quorum influxu hæc inferiora gubernantur. Secundo. Urſæ conſtant ex ſeptem ſtellis, quarum auſpiciis, & agricultura exercetur, & navigatio dirigitur. Tertio. Luna ſeptimo die mutat figuram. Quarto. Vetus lyra habuit ſeptem tonos. Quinto. In noſtra facie ſeptem ſunt inſtrumenta ſenſuum, duo oculorum, duo narium, duo aurium, & ſeptimum oris. Sexto. Septem ſunt mutationes ætatum. In Morbis dies ſeptimus eſt criticus.

IV. Numerus ſeptenarius Angelorum Mundum gubernantium fundamentum habet ex Scriptura. Tob. 12. v. 15. *Ego enim ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Zachar 3. v. 9. *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt.* Et c. 4. v. 10. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt; & a ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.* Hoc idem dicitur *Apoc. c.* 3. *v.* 1. *c.* 5. *v.* 6. *c.* 8. *v.* 2. *c.* 15. *v.* 1. & *v.* 17. Sed quia merito dubitari poteſt, an per illos ſeptem Spiritus intelligantur ſeptem Angeli, an vero potius ſeptem dona Spiritus Sancti: & an numerus ſeptenarius ſumatur definite pro ſeptem tantum Angelis, an vero indefinite pro magna copia, & multitudine, ut eſſe uſum in Scripturis ſuperius diximus: idcirco

V. Quidquid ſit de numero ſeptenario, Mundum per Angelos regi docent SS. Patres, S. Auguſtinus l. 83. qu. 79. *Unaquæque* (inquit) *res viſibilis in hoc Mundo habet poteſtatem angelicam ſibi præpoſitam, ſicut aliquot locis divina Scriptura teſtatur.* Loca vero eſſe poſſunt *Daniel* 9. & 10. ubi Angelorum cura de Iſraelitis, & Perſis deſcribitur. *Apoc.* 7. ubi Angeli quidam dicuntur tenere ventos terræ, ne flarent, neque ſuper terram, neque ſuper Mare, neque ſuper ullam arborem. *Apoc.* 14. Sermo eſt de Angelo habente poteſtatem ſuper ignem. Et *c.* 16. de Angelo aquarum. S. Gregorius *l.* 9. *Mor. c.* 17. *olim* 14. ait: *Per hoc, quod dicitur*: Sub quo curvantur, qui portant Orbem, *poſſunt & angelicæ virtutes intelligi. Ipſæ etenim Orbem portant, quæ regendi Mundi curas adminiſtrant.* Et l. 4. Dial. c. 6. *In hoc quoque* (inquit) *Mundo viſibili nihil, niſi per creaturam inviſibilem diſponi poteſt. Nam ſicut omnipotens Deus aſpirando, vel implendo ea, quæ ratione ſubſiſtunt, & vivificat, & movet inviſibilia: ita ipſa quoque inviſibilia implendo movent, atque vivificant carnalia corpora, quæ videntur.* Hoc idem docet Nazianzenus carmine 6.

VI. Hinc probabile valde fit, quod ex eodem Gregorio *Homil.* 34. *in Evang.* refert D. Thom. 1. *p. q.* 113. *art.* 2. Cuilibet rerum materialium generi, immo & ſpeciei proprium, ac determinatum Angelum perfici; ut enim ſupra notavimus ex Apocal. commemorantur Angeli poteſtatem habentes ſupra ignem, & ſupra aquas.

Quare admittendi non ſunt, qui a ſpeciebus viventium imperfectorum, ſeu quæ ex putri generantur, Angelicam præſidentiam removent. Cum enim teſte D. Thom. relato, cuſtodia Angelorum ſit quædam executio divinæ Providentiæ circa res, quæ perpetuo manent, quales ſunt ſpecies rerum corruptibilium; debetur etiam talis cuſtodia ſpeciebus viventium imperfectorum; ita ut unus Angelus pro qualibet ſpecie, & omnibus individuis deputetur: ad differentiam ſpeciei humanæ cui non ſolum pro tota ſpecie unus Angelus, ſed pro ſingulis hominibus ſinguli Angeli deputantur, ut dicemus,

§. II.

Angelos præſidere Regnis, & Eccleſiæ.

VII. SIngulis Regnis. ac Provinciis etiam Infidelium ſingulos Angelos eſſe præpoſitos docent SS. Patres ex *c.* 10. Danielis. ubi introducuntur quatuor Angeli, quorum unus erat Princeps Perſarum, alter Græcorum, tertius Gabriel Princeps captivorum in Perſide, quartus Michael Princeps populi Dei. Inter Principem Perſarum, & Gabrielem erat diſſenſio, an Judæi eſſent liberandi ex Perſide, nec ne. Negabat Princeps Perſarum, affirmabat Gabriel: nimirum uterque agebat cauſam pro gente ſibi commiſſa. Itaque Gabriel contendebat, Judæos liberandos eſſe; ne ſi diutius in Perſide hærerent, paulatim imbiberent mores Perſarum, & relicto vero Deo, ad cultum Idolorum ſe converterent. Alter contra urgebat, perſiſtendum eſſe in Perſide: tum quod Perſæ diſcerent a Judæis cultum, ac religionem veri Dei: tum etiam quod Judæi meliores eſſent rebus adverſis, quam proſperis, & antiqua peccata novis afflictionibus expiarent.

VIII. Hinc apparet cauſa, quare ſingulis Regnis, ac Provinciis ſinguli Angeli ſint aſſignati; nimirum, ut Populos ſibi concreditos ad verum Dei cultum perducant, vel in eo confirment; ut ab infeſtis Dæmonum poteſtatibus tueantur; & quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, in eis promoveant. Unde D. Dionyſius *c.* 9. *Cæleſt Hierarch.* aperte teſtatur, multos ex Gentibus Angelorum miniſterio ad Deum verum agnoſcendum, & colendum fuiſſe perductos. Cujus illuſtre habemus exemplum (*Act.* 10.) de Cornelio Centurione, qui hortante Angelo miſſus fuit ad Petrum, ut fide indueretur. Et multi graves Theologi cum D. Thoma ſentiunt, etiam Gentiles poſt Chriſtum natum, ſi legem naturæ obſervent, contingere poſſe, ut miniſterio Angelorum ad latentem Chriſti fidem perducantur.

IX. Aliud quidpiam memorabile Origenes *in c.* 11. *Num.* de hac materia ſcribit. Putat enim in confuſione linguarum, unumquemque Angelum ei genti, cujus curam gerebat, propriam linguam aſſignaſſe, & indidiſſe: *Ut verbi gratia unus aliquis Angelus fuerit, qui Babylonicam tunc uni earum gentium impreſſerit linguam; alius qui alii Ægyptiam, & alius qui Græcam. Et ſic diverſarum gentium ipſi illi fortaſſe Principes fuerunt, qui linguarum, & loquelæ videbantur auctores. Manſit autem lingua per Adam primitus data, quam nos fuiſſe putamus Hebræam, in ea parte hominum, quæ non pars alicujus Angeli, vel Principis facta eſt, ſed quæ Dei portio permanſit.* Hæc Origenes, penes quem de hoc fides ſit. Hoc certum eſt, Provincias, & Regna ſuum Angelum habere præſidem, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 113. *a.* 3. dicens, hanc pertinere ad ordinem Archangelorum, vel Principatuum, vel Virtutum, vel Poteſtatum &c. Ubi enim diſtinxit cuſtodiam in particularem, & univerſalem, de hac ait: *Sic igitur cuſtodia humanæ multitudinis pertinet ad ordinem Principatuum, vel forte Archangelos, qui dicuntur Principes Angelorum. Unde & Michael, quem Archangelum dicimus, unus de Principibus di-*

bus di-

bis dicitur Dan. 10. *Ulterius autem ſuper omnes naturas corporeas habent cuſtodiam Virtutes. Et ulterius etiam ſuper Dæmones habent cuſtodiam Poteſtates; & ulterius ſuper bonos Spiritus habent cuſtodiam Principatus, vel Dominationes ſecundum Gregorium* (Hom. 34. in Evang.)

X. Multo autem magis toti Eccleſiæ angelicum præſidium adeſſe credendum eſt. Ac primo certum eſt, Michaelem olim in veteri Teſtamento præfuiſſe Synagogæ, ſeu Eccleſiæ Judæorum. Hoc enim ſupponit T. Th. *in 4. diſt. 43. art. 2. quæſt. 3. ad 2.* Dionyſ. *cap. 4. de Cæleſt. Hierarch.* & communiter ſentiunt omnes; quia Dan. 10. verſ. 21. *Nemo eſt* (inquit) *adjutor meus .... niſi Michael Princeps noſter.* Deinde Scriptura quatuor locis meminit geſtorum ipſius in favorem Judæorum. Primo. Nam apud Danielem *cap. 10.* dicitur, egiſſe cauſam Judæorum, ut poſſent liberari ex captivitate Perſarum. Secundo. Apud eumdem *c. 12. v. 1.* dicitur, quod Die Judicii veniet pro populo ſuo pugnaturus. Tertio. *In Epiſtola Canonica Judæ* dicitur, contendiſſe cum Diabolo de corpore, & ſepultura Moyſis. Diabolus enim volebat in apertum proferre, ut Judæos ad idololatriam provocaret, cui Michael ſe oppoſuit, ut Hebræis hanc occaſionem eriperet. Quarto. *Apoc.* 12. deſcribitur pugna ejus cum Lucifero a Daniele prædicta. Quæ omnia indicant, Michaelem curam, & protectionem habuiſſe Hebræorum. Vide Gregorium *lib. 17. Moral. cap. 12. olim 8.*

XI. Eumdem etiam cuſtodem, & defenſorem eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ, affirmat D. Thom. citatus ex *4. diſt. 43. artic. 2. quæſtiuncula 3. ad 2.* ubi loquens de miniſterio Angelorum in reſurrectione, ait; *Miniſterium illud erit principaliter unius Archangeli, ſcilicet Michaelis, qui eſt Princeps Eccleſiæ, ſicut fuit Synagogæ.* Teſtantur hoc variæ apparitiones, partim in Occidentali, partim in Orientali Eccleſia; quibus, addita miraculorum virtute, fecit ſe conſpicuum, ut omnibus eum eſſe patronum Eccleſiæ palam innoteſceret. Celebris ejus apparitio in monte Gargano Apuliæ anno 493. ſub Gelaſio, ut notat Baron. *Annal. ad dictum annum n. 42.* & *in Martyrol. ad diem 8. Maii*; ubi refert Templum Deo in honorem S. Michaelis erectum, factum fuiſſe peregrinationum locum, adeo ut, referente Petro Damiani, Otho Imperator S. Romualdi monitu, ad expiandum crimen paulo ante commiſſum, nudis pedibus illic perrexerit. Altera Romæ in Mole Adriani: ubi, Bonifacio Papa, viſus fuit in ſignum luis ceſſantis exertum gladium in vaginam recondere. Alias prætereo, quæ legi poſſunt apud Baron. *in Martyrol. ad diem 8. Maii & 29. Septembris.*

XII. Sed quare Michaeli potius, quam alteri ex tot Angelorum millibus Eccleſiam a Deo commendatam pie credimus? Dicunt aliqui, id factum, quod Michael debellavit Luciferum: unde præmii loco protector omnium fidelium a Deo conſtitutus fuit. Sed verius crediderim, id ſola Dei voluntate factum nullo meriti intuitu, cui ſicut placuit Michaeli in Eccleſiam veterem principatum tradere; ita eum continuare voluit in nova, velut omnium Angelorum miniſtrantium Principem.

§. III.

Reſolutio Dubii.

XIII. Singulis hominibus, ſive fidelibus, ſive infidelibus ſingulos Angelos in Cuſtodiam deputari, conſtans eſt Doctorum opinio. Unus Calvinus audaciſſimus de more, ab hoc choro reſilit. Etenim in Pſalm. *90. Falſum* (inquit) *eſt illud commentum, ſuum cuique ſingularem Angelum eſſe.* Ad cap. 12. Actorum. *Quod vulgo hinc eliciunt, ſingulis hominibus ſingulos attribui Angelos, qui eorum curam gerunt, nimis infirmum eſt. Nam Scriptura teſtatur magno populo interdum unum dari Angelum: ergo figmentum, quod paſſim invaluit de binis cujuſque geniis, profanum eſt.* Et *l. 1. Inſtit. c. 14. §. 7.* ait: *Cæterum an ſingulis fidelibus ſinguli Angeli ſint attributi ad eorum defenſionem, pro certo aſſerere non auſim. Certe quem Daniel Angelum Perſarum, & Græcorum Angelum inducit, ſignificat certos Angelos Regnis, ac Provinciis quaſi præſides deſtinari. Chriſtus etiam quum dicit Angelos puerorum ſemper videre faciem Patris, certos eſſe Angelos, quibus commendata ſit eorum ſalus, innuit. Sed ex eo neſcio, an colligi debeat, unicuique præeſſe ſuum Angelum. Hoc quidem pro certo habendum, non tantum uni Angelo unumquemque noſtrum eſſe curæ, ſed omnes uno conſenſu vigilare pro ſalute noſtra.* Hæc Calvinus.

XIV. Verum paucis verbis plura peccata committit. Primum impudentiſſimæ temeritatis; dum ſolus toti antiquitati audet reſiſtere, ut oſtendam. Secundum inconſtantiæ. Nam uno loco aſſerit, falſum eſſe commentum, ſuum cuique ſingularem Angelum eſſe. Alio autem loco non audet pro certo aſſerere, an ita res ſe habeat, nec ne. Tertium malæ conſequentiæ; dum ex quo unus Angelus præſit magno populo, infert, falſum eſſe ſingulis hominibus ſingulos præfici Angelo. Quartum peccatum eſt contradictio ſuis principiis; dum aſſerit certum eſſe, omnes Angelos uno conſenſu vigilare pro ſalute humana. Doctrina enim Calvini eſt, omnes homines ab æterno, nullo habito reſpectu bonorum, vel malorum operum, alios eſſe ad vitam prædeſtinatos, alios reprobatos ad mortem: hi ſecundum Calvinum, quidquid agant, aut moliantur, certo certius ruunt ad interitum; illi vero, etiamſi velint, perire non poſſunt. Fruſtra ergo vigilant Angeli pro eorum ſalute. Et rectius in ſua doctrina dixiſſet, Angelos in utramque partem dormire, nec ullam de humana ſalute curam gerere. Dimiſſo ergo hoc nebulone.

XV. Dico primo. Unicuique Fidelium unus Angelus datur ad cuſtodiam. Ita omnes pene Patres Græci, & Latini. Et hoc probant ex Scripturis, *Gen. 48. v. 16.* Jacob ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Ubi loquitur de aliquo uno Angelo ſibi in cuſtodiam deſtinato. Judith. 13. v. 20. *Cuſtodivit me Angelus ejus*: ecce Angelum datum Judith in cuſtodiam. *Matth. 18. v. 10.* Sermo eſt de Angelis puerorum cuſtodibus: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Actorum 12. v. 15. Fideles Petro Januam pulſante, nec putantes eſſe revera Petrum, dicebant: *Angelus ejus.* Communis ergo tunc erat fidelium perſuaſio, ſaltem fideles habere ſuum Angelum.

His, aliiſque moti Chryſoſtomus in cap. 18. Matth. *Hic manifeſtum eſt* (inquit) *quia omnes Sancti Angelos habeant.* Baſilius in Pſ. 48. *Cuilibet fidelium eſt Angelus aſſiſtens.* Et lib. 3. contra Eunom. *Quod ſingulis fidelium adſit Angelus, ut pædagogus quidam, & paſtor ad vitam dirigendam, non contradicet, qui verborum Domini recordatur dicentis ..... Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt.*

XVI. Dico ſecundo. Non ſolum fidelibus, ſed omnibus omnino hominibus, ac ſingulis, ſinguli Angeli ad cuſtodiam deputantur. Hinc S. Hieron. *in cap. 18. Matth.* ponderans verba Chriſti ſupra laudata, exclamat: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum!* Et in cap. 5. Eccleſiaſtæ: *Non enim* (inquit) *in ventum dicta tranſeunt, ſed a præſenti Angelo, qui unicuique adhæret comes, ſtatim perferuntur ad Dominum.*

XVII. Probatur ratione D. Th. hac *q. 113. art. 2.* quæ generalis eſt, hoc pacto. Angelorum cuſtodia eſt divinæ Providentiæ executio, quæ principaliter eſt circa illa, quæ perpetuo manent: ſed homines perpeto manent non ſolum quoad ſpeciem, ſed etiam quantum ad proprias formas ſingulorum, quæ ſunt animæ rationales; ergo deputatur Angelus non ſolum ad cuſtodiam ſpeciei humanæ, ſed ad cuſtodiam cujuslibet individui ſuus Angelus deſtinatur.

XVIII. Secundo probatur. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtus pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuus eſt, ut ſuperius contra Calvinum, & Janſenium probatum eſt; ergo debet omnibus, & ſingulis providere de mediis, quibus poſſint ad ſalutem tendere, & fructum mortis ſuæ percipere: ſed inter cætera media eſt angelica cuſtodia; ergo hæc omnibus, & ſingulis adeſſe debet. Min. ſubſumpta probatur. Qui eſt in via periculoſa, in qua latent hoſtium inſidiæ, non poteſt tuto tranſire, niſi habeat peritum, & fidum cuſtodem, ac ducem: ſed homo in hac vita mortali eſt quaſi in via, quæ tendit ad Cæleſtem patriam, quæ eſt valde periculoſa, tum ex parte hominis viatoris, qui ex ſe infirmus eſt, & labi facile poteſt, aut errare: tum ex parte hoſtium, qui plurimi in hac vita ſunt, & occultas inſidias parant; ergo &c.

XIX. Sed objicies primo. Cuſtodes deputantur aliquibus, vel quia neſciunt, vel quia nequeunt cuſtodire ſeipſos: ſed homo per liberum arbitrium poteſt cuſtodire ſeipſum, & per naturalem legis cognitionem etiam ſcit; ergo &c.

XX. Reſpondeo cum D. Th. hac q. 113. art. 1. ad 1. *Quod per liberum arbitrium poteſt homo aliqualiter malum vitare, ſed non ſufficienter: quia infirmatur circa affectum boni propter multiplices animæ paſſiones. Similiter etiam univerſalis cognitio naturalis legis, quæ homini naturaliter ineſt, aliqualiter dirigit hominem ad bonum, ſed non ſufficienter; quia in applicando univerſalia principia juris ad particularia opera contingit, hominem multipliciter deficere. Unde dicitur Sap. 9.* Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. *Et ideo neceſſaria fuit homini cuſtodia Angeli.*

XXI. Dices. Hæc omnia aliunde haberi per cuſtodiam Dei: ubi autem adeſt fortior cuſtodia, ſuperfluit inferior. Homines autem a Deo cuſtodiri, dicit David Pſ. 120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*; ergo &c.

XXII. Reſpondeo cum eodem S. Th. ibi ad 2. *Quod ad bonum operandum duo requiruntur. Primo, quod affectus inclinetur in bonum .... Secundo autem, quod ratio inveniat congruas vias ad perficiendum bonum virtutis .... Quantum ergo ad primum Deus immediate cuſtodit hominem infundendo ei gratiam, & virtutes. Quantum autem ad ſecundum Deus cuſtodit hominem ſicut univerſalis inſtructor, cujus inſtructio ad hominem pervenit mediantibus Angelis.*

Addo, quod ſi hæc inſtantia valeret, tollenda eſſent omnia media ad ſalutem: poteſt enim Deus ſalvare Chriſtianos ſine Sacramentis, ſine prædicatione Evangelii, immo eum conſervare ſine cibo, & potu. Sicut ergo, etſi poſſit, vult tamen ut univerſalis Proviſor hæc haberi per media præfata; ita vult, hominem in hac via angelica cuſtodia regi, quamvis per ſeipſum poſſet.

XXIII. Objicies ſecundo. Perditio cuſtoditi redundat in negligentiam cuſtodis, ſi cum poſſit, non ſubveniat: ſed multi homines quotidie pereunt, quibus Angeli ſubvenire poſſent, vel viſibiliter apparendo, vel mirum aliquid faciendo; ergo Angelis imputaretur, ſi &c.

XXIV. Reſpondeo ex eodem ad 3. *Quod ſicut homines a naturali inſtinctu boni diſcedunt propter paſſionem peccati: ita etiam diſcedunt ab inſtigatione bonorum Angelorum quæ fit inviſibiliter per hoc, quod homines illuminant ad bene agendum. Unde quod homines pereunt, non eſt imputandum negligentiæ Angelorum, ſed malitiæ hominum. Quod autem aliquando præter legem*

gem

gem communem hominibus viſibiliter appareant, ex ſpeciali Dei gratia eſt; ſicut etiam præter ordinem naturæ miracula fiunt.

XXV. Objicies tertio. Unus homo ſufficit ad habendam curam plurium aliorum; ergo multo magis unus Angelus, qui fortioris virtutis eſt, & perſpicacioris vigilantiæ.

Reſpond. negando conſequentiam. Quod enim cuilibet homini unus Anglus deputetur, non eſt ex defectu virtutis angelicæ, ſed ex variis titulis, quibus indiget homo angelorum cuſtodia, ut docet S. Th. hac *qu. 113. art. 2. ad 1.* ubi ait: *Quod alicui homini adhibetur cuſtos dupliciter. Uno modo in quantum eſt homo ſingularis: & ſic uni homini debetur unus cuſtos, & interdum plures deputantur ad cuſtodiam unius. Alio modo in quantum eſt pars alicujus collegii: Et ſic toti collegio unus homo* (al. unus Angelus) *ad cuſtodiam præponitur; ad quem pertinet providere ea, quæ pertinent ad unum hominem in ordine ad totum collegium, ſicut ſunt ea, quæ exterius aguntur, de quibus alii ædificantur, vel ſcandalizantur. Angelorum autem cuſtodia deputatur hominibus etiam quantum ad inviſibilia, & occulta, quæ pertinent ad ſingulorum ſalutem ſecundum ſeipſos. Unde ſingulis hominibus ſinguli Angeli deputantur ad cuſtodiam.* Poteſt igitur homo conſiderari, & ſecundum ſe, & reſpective ad alios, ſeu ut eſt pars alicujus Communitatis. Si hoc modo conſideretur, ille Angelus, qui præeſt toti Communitati, ſufficit pro illius ſimul, & aliorum cuſtodia: ſi autem ſumatur abſolute, datur illi proprius & ſpecialis Angelus, qui eum cuſtodiat.

XXVI. At dicit Calvinus. Qui ad unum Angelum curam hominis reſtringit *magnam ſibi, & omnibus Eccleſiæ membris injuriam facit: ac ſi de nihilo promiſſæ eſſent illæ auxiliares copiæ, quibus undique cincti, ac muniti animoſius certemus.* Ita *lib. 1. Inſt. cap. 14. §. 7.*

XXVII. Sed fallitur, aut fallere vult impoſtor iſte. Quis enim unquam Catholicorum ad unum Angelum reſtrinxit illam, quam de unoquoque noſtrum curam gerit? Immo præter ſpecialem curam, quam in caſibus ordinariis gerit de ſuo cliente Angelus deputatus, dicimus, in caſibus extraordinariis innumeros alios Angelos præſto eſſe, ut contigit Eliſeo *4. Regum c. 6. v. 17.* & aliis. Calvinus ergo eſt, qui reſtringit, & injuriam facit membris Chriſti, eripiens unicuique ſuum Angelum.

XXVIII. Objicies quarto contra ſecundam aſſertionem. Teſte D. Paulo Hebr. 1. v. 14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Ergo Angeli non mittuntur ad cuſtodiam, niſi Fidelium, immo niſi Prædeſtinatorum qui ſoli hæreditatem capiunt ſalutis.

XXIX. Reſpondetur negando conſeq. Apoſtolus enim indicare voluit finem, ob quem Angeli mittuntur; non autem quod omnes, ad quos mittuntur, illum conſequi debeant quoad effectum. Nam, ut ait D. Th. hic art. 4. ad 3. *Sicut Præſciti, & Infideles, & etiam Antichriſtus non privantur interiori auxilio naturalis rationis; ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitus conceſſo, ſcilicet cuſtodia Angelorum; per quam, etſi non juventur quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur; juvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & ſibi ipſis, & aliis nocere poſſent. Nam ipſi Dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum vellent. Et ſimiliter Antichriſtus non tantum nocebit, quantum vellet.* Hæc D. Th. Quibus patet, Angelos Cuſtodes Præſcitorum aliquomodo cooperari ad bonum Electorum, impediendo in Præſcitis multa mala, quæ Electis nocere poſſent.

§. IV.

Varia pro Appendice reſolvuntur.

XXX. Quæres primo: Ad quem ordinem pertineant Angeli deputati ad cuſtodiam?

Reſpondet D. Th. *art. 3.* quod ad cuſtodiam ſingularis hominis deputatur Angelus Ordinis infimi: ad cuſtodiam vero humanæ multitudinis delegatur Angelus ſuperioris Ordinis, vel Archangelus, vel Principatus.

XXXI. Quæres ſecundo: A quo tempore incipiat angelica particularis hominis cuſtodia?

Reſpondet D. Th. *art. 5.* eam incipere a nativitate ex utero matris, quia tunc naſcendo accipit naturam humanam ſeparatim a matre: *Quamdiu* enim *eſt in materno utero, non totaliter eſt a matre ſeparatus, ſed per quamdam colligationem eſt quodammodo adhuc aliquid ejus; ſicut fructus pendens in arbore eſt aliquid arboris. Et ideo probabiliter dici poteſt, quod Angelus, qui eſt in cuſtodia matris, cuſtodiat prolem in matris utero exiſtentem.* Ita D. Th. ibi *ad 3.*

XXXII. Quæres tertio: An Angelus Cuſtos quandoque deſerat hominem?

Reſpondet D. Th. *art. 6.* quod ſicut Deus nunquam totaliter ſubtrahit ab homine ſuam Providentiam; ita neque totaliter ab eo ſubtrahit cuſtodiam angelicam, quæ divinæ providentiæ circa homines eſt executio. Sed ſicut Deus in tantum dicitur derelinquere hominem, in quantum permittit pati aliquem defectum, vel pœnæ, vel culpæ: ſic Angelus *interdum eum dimittit, prout ſcilicet non impedit, quin ſubdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, ſecundum ordinem divinorum judiciorum. Et ſecundum hoc Babylon, & domus Iſrael ab Angelis derelictæ fuerunt; quia Angeli earum cuſtodes non impediverunt, quin tribulationibus ſubderentur.* Et *ad 3.* addit: *Quod Angelus etſi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantum ad effectum cuſtodiæ: quia etiam cum eſt in Cælo, cognoſcit, quid circa hominem agatur, nec indiget mora temporis ad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe.*

XXXIII. An autem Angeli doleant de malis eorum, quos cuſtodiunt, ſicut gaudent de eorum bonis, Lucæ 15. v. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente?*

Reſpondet D. Th. *art. 7.* Quod Angeli abſolute nec dolent, nec triſtantur de peccatis, aut pœnis hominum. Triſtatur enim aliquis, & dolet de eo, quod ejus voluntati contrariatur: Nihil autem accidit in Mundo, quod ſit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum Beatorum, quia voluntas eorum totaliter inhæret ordini divinæ juſtitiæ, ſine cujus opera, aut permiſſu nihil accidit. Nollent quidem Angeli peccata, & pœnas hominum, quos cuſtodiunt, voluntate univerſali; ſicut nauta non vult projectionem mercium in mare; at ſicut nauta, imminente periculo, ſimpliciter vult merces projicere; ſic *Angeli peccata, & pœnas hominum univerſaliter, & abſolute loquendo, non volunt; volunt tamen, quod circa hæc ordo juſtitiæ ſervetur, ſecundum quam quidam pœnis ſubduntur, & peccare permittuntur.* Et ſimiliter ait ibi ad 3. *Tam in pœnitentia, quam in peccato manet una ratio gaudii in Angelis ſcilicet impletio ordinis divinæ Providentiæ.* Dicuntur tamen potius gaudere de pœnitentia, quia de hac gaudent utraque voluntate tam univerſali, quam particulari.

XXXIV. Porro quod dicitur Iſaiæ 33. v. 7. *Angeli pacis amare flebant*, non obſtat. Nam ut ait D. Th. ibi ad 1. *Verbum illud Iſaiæ poteſt intelligi de Angelis, ideſt nuntiis Ezechiæ, qui fleverunt propter verba Rapſacis, de quibus habetur Iſaiæ 37. & hoc ſecundum litteralem ſenſum. Secundum vero allegoricum, Angeli pacis ſunt Apoſtoli, & Prædicatores, qui flebant pro peccatis hominum. Si vero ſecundum ſenſum anagogicum exponatur de Angelis bonis; tunc metaphorica erit locutio, ad deſignandum, quod Angeli volunt in univerſali hominum ſalutem, Sic enim Deo, & Angelis hujuſmodi paſſiones attribuuntur.*

XXXV. Quæres quarto: An primis Parentibus in ſtatu innocentiæ datus fuerit Angelus Cuſtos?

Reſpond. affirmative cum D. Th. hac q. 113. art. 4. ad 2. *Nam homo in ſtatu Innocentiæ non patiebatur aliquod periculum ab interiori, quia interius erant omnia ordinata ... ſed imminebat ei periculum ab exteriori propter inſidias Dæmonum, ut rei probavit eventus.*

An vero ſi primi homines in juſtitia perſtitiſſent, adhuc Angelum Cuſtodem habuiſſent; probabiliter videtur pars affirmativa. Tum quia etſi non peccaſſent illo primo peccato; adhuc tamen non fuiſſent confirmati in gratia, ut ſupra vidimus cum D. Th. *q. 100. art. 2.* Potuiſſent igitur a Dæmone tentari, & per liberum arbitrium ipſi, vel filii eorum peccare. Vel forte illis dandus foret Angelus per divinam Providentiam, nedum ut a peccato conſervarentur; ſed ut eorum mens ſupernis illuſtrationibus magis roboraretur, & inflammaretur affectus.

XXXVI. Multo magis habuiſſet Angelos in ſui cuſtodiam, ſi homo fuiſſet conditus in ſtatu puræ naturæ; quia, ut vidimus, eiſdem, quibus modo defectibus tum animæ, tum corporis fuiſſet obnoxius. Tunc autem Angelorum cuſtodia, eſto ad vitæ æternæ hæreditatem (ad quam non eſſet ordinatus) percipiendam non deſerviret; juvaret tamen, ut homo per legis obſervantiam moveretur ad finem ſibi connaturalem, & incitaretur ad virtutum officia.

XXXVII. Quæres quinto: An B. Virgo Angelum Cuſtodem habuerit?

Reſpondeo affirmative. Hunc Div. Bernardus *Tract. de Baptiſmo cap. 5.* (alias Epiſt. 77.) exiſtimat fuiſſe Archangelum Gabrielem, & ei ſoli antea revelatum fuiſſe, eam eſſe Matrem Dei: *Excepto* (inquit) *dumtaxat Archangelo, cui & ſervanda ab initio tradita fuiſſe credenda eſt.* Si enim homini in ſtatu innocentiæ perſeveranti Angelus Cuſtos non defuiſſet, ut diximus, nec B. Virgini deeſſe debuit: non ut eam a Dæmonum inſidiis tueretur, quæ ſerpentis caput pede contriverat, nec ut ab eo edoceretur, quæ Deum habebat magiſtrum; ſed ut ejus præſentia recrearetur, & juvaretur miniſterio.

XXXVIII. Solum Chriſtum non habuiſſe Angelum ad ſui cuſtodiam deputatum, docet D. Thom. hac *q. 113. art. 4. ad primum*: Etenim *Chriſtus, ſecundum quod homo, immediate regulabatur a Verbo Dei; unde non indigebat cuſtodia Angelorum. Et iterum ſecundum animam erat comprehenſor, ſed ratione paſſibilitatis corporis erat viator. Et ſecundum hoc non debebatur ei Angelus Cuſtos tamquam ſuperior, ſed magis miniſter tamquam inferior. Unde dicitur Matt. 4. quod acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* In quo ſenſu Angeli in ejus nativitate deſcenderunt, & in paſſione Angelus eum confortaturus acceſſit, eum reverendo, & fortitudinem ejus admirando, qua libera ſua voluntate ponebat, & reſumebat dolorem. Quo confunditur impia Calvini blaſphemia dicentis, Chriſtum non modo timuiſſe mortem, ſed etiam in Cruce deſperationis vocem emiſiſſe; ideoque Deo, & Angelo confortatore eguiſſe.

XXXIX. Quæres ſexto: An anima ſeparata Angelum habeat Cuſtodem?

Reſpondeo negative cum D. Th. citato *art. 4.* Cuſtodia enim angelica ideo datur homini, ut per eam defendatur a periculis tum interioribus, tum exterioribus, quæ dum eſt in

hac

hic vita, quaſi in via impedire eum poſſunt, ne perveniat ad ſuum finem, qui eſt vita æterna: ſed hæc in termino hujus vitæ per mortem ceſſabunt; ergo ceſſabit quoque Angelorum cuſtodia. Ut enim D. Th. laudatus: *Cuilibet homini quamdiu viator eſt, Cuſtos Angelus deputatur: quando autem jam ad terminum viæ pervenerit, jam non habebit Angelum Cuſtodem, ſed habebit in Regno Angelum conregnantem, in Inferno Dæmonem punientem*. Quod ſi in Purgatorio detineatur, cum tamen ſit in termino hujus viæ, & exemptus a periculis, nec a fine poſſit deficere; ceſſat Angelus eſſe illius Cuſtos. Non deſunt tamen Angeli ad conſolationem deputati, qui eas in tormentis ſpe vicinæ gloriæ roborant, ſuis interceſſionibus apud Deum juvant, & tandem in Cælum evehunt; ut de Lazaro mendico legitur Lucæ 16. v. 22. *Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*. Ad locum etiam Purgatorii animas a bonis Angelis perduci, comitantibus eas etiam Dæmonibus, poſſibile cenſet D. Th. *in 4. diſt. 21. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 5.*

XL. De Antichriſto, an ſuum habiturus ſit Cuſtodem Angelum, negant aliqui, inter quos Suarez *in 3. p. q. 59. diſp.* 14.

Communiter, & verius affirmant cæteri cum D. Th. ut ſupra diximus *art. 4. ad* 3. Nam Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, neminem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, nulla denegat media ſaltem remota, inter quæ angelica cuſtodia recenſetur, quibus ad ſalutem conari poſſit, & conſequenter nec ea denegabit Antichriſto, quamvis præſcito, & filio perditionis: quæ ſi ipſi non proderunt, ſaltem proderunt aliis, & Sanctis, ne illis noceat quantum vellet.

XLI. Quæres ultimo: an Deus ſinat, homines a Dæmonibus tentari, & impugnari?

Reſpondeo affirmative cum D. Th. *q. 114. art.* 1. Invidia enim, qua Diabolus primos Parentes proſtravit, non ceſſat trahere, quantum poteſt, in ruinam etiam Poſteros, eos impugnando, & ad peccatum tentando. Notat tamen S. Th. loco citato: *Quod circa impugnationem Dæmonum duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſam impugnationem, & impugnationis ordinem. Impugnatio quidem ipſa ex Dæmonum malitia procedit, qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur: & propter ſuperbiam divinæ poteſtatis ſimilitudinem uſurpant, deputando ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem: ſicut & Angeli Deo miniſtrant in determinatis officiis ad hominum ſalutem. Sed ordo impugnationis ipſius eſt a Deo, qui ordinate novit malis uti, ad bona ea ordinando. Sed ex parte Angelorum tam ipſa cuſtodia, quam ordo cuſtodiæ reducitur in Deum, ſicut ad primum auctorem.*

XLII. Tentare autem ex eodem S. Doctore *art.* 2. proprie eſt experimentum ſumere de aliquo: unde finis proximus tentantis eſt ſcire, ſeu ſcientia; remotus autem id quod ex ſcientia quæritur, quod aliquando eſt bonum, aliquando malum. Sic tentare diverſis convenit. Homo enim tentare dicitur, quandoque ſolum ut ſciat, quo modo tentare Deum eſt peccatum. Deus vero tentare dicitur, ut ſciat, eo modo loquendi, quo dicitur ſcire, quod facit alios ſcire. Unde Auguſt. *q. 58. in Geneſ.* hæc Dei verba: *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, exponit ſic: *Nunc te feci cognoſcere*. Diabolus vero ſemper tentat, ut noceat, in peccatum præcipitando; vel utendo homine, ut ſui miniſtro, vel carne, & Mundo, ſeu tamquam inſtrumentis, ſive tamquam materia; in quantum motus concupiſcentiæ, & proſpera, vel adverſa Mundi ſunt materia & objecta, quibus homo peccat, ſi ſuccumbat.

XLIII. An autem omnia peccata hominum ex Diaboli tentatione procedant: D. Th. *art.* 3. dicit, Diaboli tentationem eſſe quidem cauſam occaſionalem, indirectam, & remotam omnium peccatorum; quatenus ex tentatione primi hominis ſecuta eſt pronitas ad omnia peccata: non tamen eſſe cauſam directam, & proximam. Non enim omnia peccata committuntur Diabolo inſtigante, ſed quædam ex libertate arbitrii, & carnis corruptione. Unde S. Jacobus in ſua Epiſt. cap. 1. v. 14. *Unuſquiſque* (inquit) *tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*. Et Origenes *lib. 3. Periarchon. c. 2.* ait: *Etiamſi Diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, circa quæ multa inordinatio contingit.*

XLIV. Diabolum demum ab aliquo ſuperatum, docet D. Th. *art.* 5. recedere quidem ab illo, ſed ad tempus, habens animum redeundi. Sic Lucæ 4. receſſit a Chriſto: dicitur enim v. 13. *Et conſummata omni tentatione Diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus*. Et *Matth.* 12 *v.* 44. inducitur Diabolus poſt egreſſum ab homine dicens: *Revertar in domum meam, unde exivi*. Porro ſicut Dæmones ſemper vigilant ad decipiendos; ita beati Angeli ad homines cuſtodiendos, juxta illud Iſaiæ 62. v. 6. *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*

His integro Tractatui de Homine, & toti Primæ Parti S. Thomæ, ad majorem Dei gloriam, & Doctrinæ S. Præceptoris illuſtrationem, divina opitulante gratia finis imponitur.

F I N I S.